Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/codiceiuriscanon0000vari_w9g3

CENSURAE VIGENTES

IPSO FACTO

A CODICE IURIS CANONICI

EXCERPTAE

CUM

SUSPENSIONIBUS FERENDAE SENTENTIAE POENIS VINDICATIVIS

REMEDIIS POENALIBUS POENITENTIIS ET IRREGULARITATIBUS

———o———

COMMENTUM

SAC. DOCT. PROSDOCIMI CERATO

PROF. FACULTATIS THEOL. PONTIFICIAE IN SEMINARIO PATAVINO

EDITIO SECUNDA RECOGNITA

ALMA COLLEGE
348.62
LIBRARY
C334
Alma, California

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MCMXXI.

23044

Patavii, Kal. Dec. MCMXX.

Nihil obstat

C.cus Doct. Ioseph Perin
Cens. Eccl.

Patavii, Kal. Dec. MCMXX.
Ex Aed. Episcopalibus.

Imprimatur

† ALOISIUS PELLIZZO
EPISCOPUS PATAVINUS

Iura auctoris reservantur

EMINENTISSIMO PRINCIPI

PETRO LA FONTAINE

PATRIARCHAE VENETIARUM

DALMATIAEQUE PRIMATI

DOCTRINA ELOQUENTIA VIRTUTIBUS

MAXIMO ECCLESIAE ORNAMENTO

QUI FORTI ANIMO

IN MEDIIS BELLORUM INCENDIIS

SUI GREGIS PRAESIDIUM EXSTITIT ET SOLAMEN

NUNC VERO

DILAPSO TANTARUM CAEDIUM HORRORE

GAUDIUM ET AMOR

OPUS

PRO SACRORUM ALUMNIS DIGESTUM

IN OBSEQUII ET ADMIRATIONIS ARGUMENTUM

AUCTOR

HUMILLIME DICAT

Patavii, Kal. Dec. MCMXX.

LECTORI SECUNDAE EDITIONIS

Praeter disciplinam censurarum ipso facto vigentium, quas potissimum curavi, speciali respectu habito ad ministerium confessarii, teneas etiam disciplinam de poenis vindicativis deque irregularitatibus eo quia etiam simplex confessarius potest aliquando earum obligationem suspendere vel ab eis quoque dispensare; praeterea nullum disciplinae generalis canonem praetermittere pretium operis existimavi.

Excommunicationes explicandae sumuntur eo ordine quo recensentur in indice analytico – alphabetico Novi Codicis, etiam quia tali pacto methodus ea servatur, quae in scholis viguit hucusque. Singulae vero cum integris earum canonibus referuntur, ne novo iuri quidquam detrahatur, sed ex toto canonis contextu maius emolumentum sequatur lectori.

Nec interea suspensiones ferendae sententiae omittendae visae sunt ; harum namque ope etiam, si oportuerit, mater Ecclesia docet ac praecipit, ut Clerici sancti sint et ad sanctificandum instructi.

Quae pro mea opinione dixi, omnia sapientum iudicio, praesertim vero Pontificiae Commissionis auctoritati supremae iamnunc obsequentissime subiicio.

Sac. Prosdocimus Cerato

PRIMA PARS

DE CENSURIS IN GENERE

1. *Censura quid sit.*

Can. 2241, § 1. Censura est poena, qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur.

Unde: **1. Haec** deinceps erit authentica *censurae* definitio.

2. Censura est in *genere* poenarum, seu *species* una poenarum ecclesiasticarum; et censurae lex, quamvis in doctrina morum

S. Thomas, Suppl. qq. XXI-XXIV; **S. Alphonsus,** Th. Mor. l. VII; **Suarez,** De Censuris; **Schmalgrueber,** Ius. eccl. univ., l. V; **Bonacina,** Op. Omnia; **Devoti,** Inst. can.; **Cavagnis,** iur. Inst. publ. eccl.; **Tarquini,** Iuris eccl. publ. Instit.; **Lega,** De iudiciis eccl.; **Wernz,** Ius. Decret.; **Reiffenstuel,** Ius can. univ., l. V; **D'Annibale,** Summula et « In Const. *Ap. Sedis* »; **Ballerini,** Opus Theol.; **Noldin.** De poenis eccl.; **Lehmkuhl.** Th. Mor.; **Oietti,** Synopsis; **Bucceroni,** Inst. Th. Mor. et in Const. « *Ap. Sedis* »; **Avanzini, Pennacchi, Bertapelle,** « In Const. *Ap. Sedis* ». — *Et qui post Novum Codicem scripserunt:* **De Siena; Caracciolo; Pighi,** Censurae sententiae latae; **Cappello.** De Censuris; **Cavigioli,** De censuris latae sententiae; **Ferreres,** Comp. Th. Mor.; **Sebastiani,** Summula Th. Mor.; **Gury-Ballerini-Tummolo,** Comp. Th. Mor.; **Génicot-Salmans,** « Instit. Th. Mor.: **Racca,** Th. Mor. Synopsis; **Tanquerey,** Synopsis Th. Mor. et Past.; **Creusen et Vermeersch,** Summa novi iuris; **Marc,** Inst. Alph.; **Sole,** De delictis et poenis, Romae, Pustet.

habenda sit ut lex *moralis*, quatenus obligat in conscientia etiam ad sui observantiam, tamen in iure lex *poenalis* dicitur, quia sanctionem habet poenae. Iamvero, « poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta » : c. 2215. — Lex *moralis*, si violetur, facit peccatum, poenalis delictum, de quo c. 2195.

3. Subiectum censurae est solum *homo baptizatus*, quia *lex censurae* est lex mere ecclesiastica, et « legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt » : c. 12. — Quid si baptismus sit dubius? Ex dubia *collatione* baptismi, nemo censura tenetur, quia lex, cum sit odiosa, strictam accipit interpretationem : c. 2219, § 1 ; 19. Ex dubia *validitate* baptismi collati, licet alii (Cappello, n. 8) idipsum dicant, ex mea opinione in foro externo tenet censura ob regulam communem : « in dubio standum est pro valore actus ». Vid. n. 8, adn. *d*.

4. Duae conditiones essentialiter requiruntur ad censuram contrahendam. *Prima conditio* est, ut subiectum sit *delinquens* contra legem ; quia « poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur » : c. 2226, § 1 ; et quia Ecclesia non nisi *delictum* punit et persequitur : c. 2195, 2198 ; et inde effatum illud theologis et canonistis commune : *non est poena ubi non est culpa*. — *Altera conditio est*, ut subiectum sit *contumax* contra legem censurae et proinde, virtualiter, contra praecipientem auctoritatem ; *censurae* enim poena naturam poenae *vindicativae* non habet. Igitur qui non est cumulative *baptizatus*, *delinquens* et *contumax*, nulla censura plecti potest, sive a iure, sive ab homine ; et ratio est, quia solum homo huiusmodi decernitur *subiectum capax ;* quamvis, non omne subiectum capax sit simul censuris *obnoxium ;* sunt enim qui a lege censurarum eximuntur (n. 9).

5. Effectus censurae est privatio quorundam bonorum spiritualium vel spiritualibus adnexorum, quae in iure pro singulis censuris determinantur, nec possunt ad arbitrium separari. — Christifidelis nequit privari bonis sibi inhaerentibus, cuiusmodi sunt : character sacramentalis, potestas ordinis, virtutes fidei, spei, caritatis etc. ; nec potest privari bonis, quae procedunt a Christo Domino, capite Ecclesiae, cuiusmodi sunt gratiae multiplices ab Ecclesia non pendentes ; immo nec illis bonis privari potest, quae procedunt a Christifidelibus tamquam a membris Ecclesiae seorsim sumptis, puta orationibus, piis operibus fidelium singulorum ; et ratio est quia Ecclesia communionem Sanctorum nequit impedire. Sed Ecclesia per censuras Christifideles privat eis bonis, quae ipsa administrat vel possidet, quaeque sunt etiam sibi administranda et possidenda nativo iure ; et huiusmodi sunt : *usus*

Sacramentorum, *iurisdictio*, *sacrificium*, *indulgentiae*, *suffragia communia*, *beneficia ecclesiastica*, *pensiones ecclesiasticae*. Haec, ut videre est, bona *spiritualia* sunt vel *spiritualibus* adnexa. Censura vero a theologis hucusque dicta fuit etiam poena *spiritualis* non solum quia bona spiritualia subtrahit, sed etiam quia procedit a sola spirituali potestate et ad animarum salutem ordinatur.

6. Censura est poena medicinalis eo quod potissimum tendit ad contumaciam delinquentis infringendam. Atque inde est, ut nec *in perpetuum* feratur, nec *ad tempus determinatum;* sed sine determinatione temporis, scilicet *quousque* contumacia desierit; atque inde etiam est, ut delinquens ipso iure absolvendus sit cum primum a contumacia recesserit: c. 2248, § 2. Cf. D'Annib. § 324, not. 4.

Adn. a. *Finis poenarum* quadruplex censetur, scilicet: *ut laesus* ordo reparetur; *ut* culpa puniatur; *ut* delinquens corrigatur; *ut* alii a delicto absterreantur et scandalum removeatur. — Finis primarius, videlicet reparandi laesum ordinem, est communis omnibus poenis irrogandis; sed si, illo supposito, principalior finis poenae constituatur *punitio* rei, poena dicitur *vindicativa*, si vero constituatur correctio seu *emendatio* delinquentis, poena dicitur *medicinalis*. Cf. n. 131.

b. *Nomen censurae* Ecclesia mutuata est a iure romano; eo scilicet quo Romae *censores* fuerunt, quibus demum cura data erat morum disciplinaeque populi Romani, civesque sic notabant, ut senatorem, qui in moribus deliquisset, Senatu eiicerent; equitem equo publico spoliarent; plebeium iure suffragii privarent. Vid. *Forcellini*, Lexicon tot. latinitatis, Tip. Seminarii Patavini. — Verum, teste Morino (De Sac. Poenit. XXV, 12) ars loquendi de censura per undecim et amplius saecula auctoribus ecclesiasticis nec stricta nec praecisa fuit.

2. *Quid censurâ puniatur.*

Cax. 2242, § 1. Censurâ punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum.

Unde: 1. Causa censurae (sive latae sive ferendae sententiae, sive in communi sive in particulari iure) dabitur solum ex his *cumulative* acceptis, scilicet:

a) *ex delicto.* Iamvero: « *nomine delicti*, iure ecclesiastico, intelligitur *externa* et moraliter imputabilis *legis violatio*, cui ad-

nexa sit *sanctio canonica* saltem indeterminata » : c. 2195, § 1. Porro, « delictum est: 1. *Publicum,* si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis, ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri ; 2. *Notorium notorietate iuris,* post sententiam iudicis competentis, quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam : can. 1750 ; 3. *Notorium notorietate facti,* si publice notum est et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit ; 4. *Occultum,* quod non est publicum ; *occultum materialiter,* si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter,* si eiusdem imputabilitas » : c. 2197. Cf. *Sole,* n. 9-11. Nonnulli (ut Noldin, *de poenis* n. 10) dicunt delictum publicum quod « ex actis publicis seu ex protocollis authenticis constaret ; ut si clericus in sacris constitutus matrimonium civile contraxerit ; aut si catholicus coram ministro haeretico matrimonium inierit ». Id recte dicetur de *impedimentis matrimonialibus,* quae publica dicuntur quando *probari* possunt : c. 1037 ; sed de *delictis* minus recte dicitur ; quia, e. g., potest quis subdiaconus aut catholicus matrimonium contrahere civiliter aut coram ministro haeretico, et tamen *factum* seu *delictum* esse *occultum ;*

b) graviter imputabili. — Pro *poenis* in genere « *imputabilitas* delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae » : c. 2199. Pro *censuris* autem sive incurrendis ipso facto sive infligendis, ea saltem imputabilitas semper requiritur, quae *peccatum mortale* sit ; quia censura est poena gravissima, et « in poenis decernendis servanda est aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis » : c. 2218, § 1. Cf. Benedictus XIV, De Syn. l. X, c. I, n. 5.

c) externe patrato, ut patet etiam ex *notione* ipsius delicti superius allata. — Peccatum commissum actu mere interno, puta delectatione morosa, gaudio, desiderio, posset quidem ab Ecclesia poenis *latae* sententiae plecti in conscientia obligantibus ; sed non poenis ferendae sententiae, quia actus internus non potest probari. Neutrum vero admittitur. Disciplina Ecclesiae haec est, ut non nisi actio externa contra legem posita puniatur ; unde legimus : « cogitationis poenam nemo patitur » : Ulpianus ; et « occulta et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum » : c. 20, l. II, q. V. Et ratio exhibetur a S. Thoma I.ª II.ªᵉ, q. XCI, a. 4. — Verum ne confundas delictum *externum* seu externa actione patratum cum delicto *occulto* seu patrato actione *occulta.* Censurae ferri possunt etiam in delinquentes *occultos* seu *ignotos :* c. 2242, § 1 ;

d) *consummato,* idest, perfecto « in suo genere secundum proprietatem verborum legis » : c. 2228. Secus, nulla poena lege statuta incurritur : c. 2228;

e) *cum contumacia coniuncto ;* quia censura est poena *medicinalis* suaque natura tendit potissimum ad contumaciam infringendam. Dicitur autem *coniuncto* potius quam *patrato,* quia delinquens esse potest contumax dupliciter, idest sive dum patrat delictum, sive postquam illud patraverit (n. 3);

f) *certo ex omni parte ;* quia, si agatur de sola censura, datur can. 2233, § 1, qui dicit: « nulla poena infligi potest, *nisi certo constet* delictum commissum fuisse » ; si vero agatur de censura reservata, est can. 2245, § 4 qui ait: « censura latae sententiae non est reservata nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur ; et *in dubio,* sive iuris sive facti, reservatio non urget ».

2. Nulla causa censurae sive latae sive ferendae sententiae, sive a iure communi sive a iure particulari seu ab Ordinariis datur, si *unum* intercedat ex his, quae secuntur :

a) si non agatur de *delicto* canonice accepto, uti supra dictum est ; licet legitimus Superior possit aliquando legis transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat, ut dicitur c. 2222, § 1, 2218, § 1. Cf. n. 133.

b) si causa una adsit ex iis, quae a *gravitate* culpae delinquentem excusant ; quia « non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena, tum latae tum ferendae sententiae, etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur » : c. 2218, § 2 ;

c) si peccatum solum *internum* fuerit, scilicet commissum mente, animo, desiderio ;

d) si de *conatu delicti* aut de *delicto frustrato* agatur, nisi haec in lege seorsim censuris incurrendis puniantur.

« *Delicti conatum* committit, quicumque actus posuerit vel praetermiserit, qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit » : c. 2212, § 1. Et « conatui delicti accedit actio illius, qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter » : c. 2212, § 3.

Delictum frustratum proprio nomine dicitur specialis conatus delicti, nempe qui habetur « cum omnes actus positi vel omissi sunt, qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, sed ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sunt » : c. 2212, § 2. — Super

his nota: – 1) *Conatus delicti et delictum frustratum* possunt in lege seorsim multari censuris *incurrendis* vel *infligendis*. Iamvero si in lege suis censuris puniantur, tunc, ut dicitur c. 2212, § 4, verum delictum constituunt, quod erit in se consummatum. – 2) « Delictum frustratum aut conatus delicti, nisi tamquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri, salvo praescripto c. 2213, § 3 »: c. 2235. — Et praescriptum can. 2213, § 3 est huiusmodi: « Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit »;

e) si contumacia *desierit,* iuxta quae dicuntur n. 4;

f) si quod positivum sit *dubium* sive facti, sive iuris. Quam ob rem si delictum non certum sit, vel non certe graviter imputabile, aut non certe consummatum secundum proprietatem verborum legis, aut non certe patratum cum contumacia, censura non contrahitur.

Adn. a. *Agentibus nobis* de censuris sedulo attendendum est, ne censura et delictum confundantur inter se. *Delictum* est peccatum consistens ex imputabili et externa violatione legis, cui adnexa est poena, et idcirco est et causa, qua infligitur censura. *Censura* non est peccatum, sed est poena ob illud inflicta et consistit in privatione bonorum quorundam.

b. Distinctio inter delictum publicum et notorium et occultum alta mente reponatur. Publicitas dicitur in ordine ad notitiam seu cognitionem; et *publicum* dicitur delictum, quod aliis iam innotuit; *occultum*, quod est a cognitione aliorum remotum; unde *ut occultum* habetur etiam quod sciatur a paucis, qui illud vulgaturi non sint; sed *ut publicum* habetur quod cognoscatur a paucissimis quidem sed secretum non servaturis; sane non tantum numerus personarum cognoscentium attenditur, sed potissimum earum indoles et propositum: D'Annib. § 242, not. 50; Card. Lega n. 244. Et *publicum* hic delictum potest esse alibi *occultum*; et quod olim fuit publicum, esse nunc occultum, post longum tempus, ut esset spatium viginti annorum: D'Annib. § 242, n. 56. — *Publicum* autem non semper est etiam *notorium*. Notorietas publicitati aliquid addit. *Publicitas* dicitur ex cognitione *facti*; *notorietas* ex cognitione *delicti,* idest *facti,* qua est delictum. Ita, e. g., *homicidium* patratum coram populo est *publicum,* sed quandiu, aliqua de causa, dubia fuerit eius *imputabilitas*, nequit *notorium* dici. Haec *notorietas* delicti idest *certa imputabilitas* facti esse potest: *a*) *ex ipsa evidentia rei*, quatenus factum in talibus adiunctis contigit ut nulla tergiversatione celari possit eiusque imputabilitas nullo iuris suffragio excusari: est delictum notorium

notorietate facti ; - *b*) *ex confessione delinquentis iudiciali*, id-est facta scriptis aut oretenus coram iudice, sive sponte sive ex interrogatione iudicis : c. 1750 ; - *c*) *ex sententia iudicis* competentis, quae in rem iudicatam transierit ad norman canonis 1902 ; est delictum notorium *notorietate iuris*. Vid. plura *Sole*, l. c.

3. *Quae sit contumacia ad censuras incurrendas.*

Can. 2242, §. 2. Si agatur de censuris ferendae sententiae, contumax est qui, non obstantibus monitionibus, de quibus in c. 2233, § 2, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat ; ad incurrendam vero censuram latae sententiae sufficit transgressio legis vel praecepti, cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur.

Unde : 1. Contumacia pro censuris *latae sententiae* habetur ex mala voluntate agentis *cum cognitione legis sufficiente* (n. 31, 2°) ad censuram incurrendam. — Quamobrem tum ignorantia *legis* excusans a gravitate culpae, tum ignorantia *censurae* relative *sufficiens* ad censuram vitandam, impediunt contumaciam.

2. Contumacia pro censuris *ferendae sententiae* habetur ex mala rei voluntate *perdurante* in delicto et *reluctante* obedire monitioni Superioris et obligationibus suis satisfacere, scilicet agendi poenitentiam, resarciendi damna, quae sint et removendi scandalum, quod adsit. *Monitio* igitur praerequiritur.

Adn. *Ratione perdurante contumaciae* theologi dicunt delictum *mere praeteritum* non esse censura puniendum ; sed tamen nota ius speciale : *Poena vindicativa* infligi potest delinquentibus etiam contumacia non perdurante, « si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat » : c. 2222, § 1 ; et idcirco etiam monitione non praemissa. Cfr. n. 133.

4. *Quandonam contumacia censeatur desiisse.*

Can. 2242, § 3. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit ; iudicare autem, utrum poenitentia

vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur.

Unde: 1. Contumacia sive pro foro externo, sive pro foro interno dirimitur ex duobus simul acceptis, videlicet: *ex poenitentia seu dolore* delinquentis de commisso delicto, et *ex satisfactione* pro illatis damnis et scandalo.

Et poenitentia debet esse vera, i. e. poenitentia cordis, secundum illud *Ioelis,* II, 13: « *scindite corda vestra et non vestimenta vestra* ». — Satisfactio autem debet esse congrua, ex servata iusta proportione tum damnis illatis, quae resarcienda sunt ad aequitatem, tum scandalo inducto, quod removendum est efficaciter, quantum moraliter fieri potuerit. Sane oportet ut poenitentia cordis sit praesens, satisfactio vero sive data sive nunc promissa sufficit, serio tamen promissa ita ut moraliter certa haberi possit; cuiusmodi non esset ea, quae, nunc possibilis, solum promitteretur a poenitente, qui alias eam promiserit, vel videatur dubiae poenitentiae.

2. In foro interno sacramentali iudicare de vera poenitentia et de congrua satisfactione petentis absolutionem, proprium est *confessarii,* proprium, inquam, sive ius sive officium. — Confessarius autem meminerit: 1. delinquentem non esse absolvendum sive a peccatis sive a censuris nisi vere poenitens fuerit et paratus gravibus obligationibus suis satisfacere; 2. huiusmodi satisfactionem pro damnis et scandalo congruam poenitenti iniungendam esse etiam de iure explicito.

3. In foro externo ante Codicem absolutio dari nequibat sine legitima satisfactione data aut saltem data cautione *pignoratitia* vel *fideiussoria* vel *iuratoria: D' Annib.* § 351, not. 6; nunc eiusmodi cautiones ex iure non exiguntur: attamen cum de *seria* promissione iudicare sit proprium illius, a quo censurae absolutio petitur, nihil prohibet, quominus hic aliquando cautionem exquirat: *Sole,* n. 162.

5. *Censurae quomodo dividantur.*

R. 1.° **Ratione applicationis** seu irrogationis, censurae sunt vel *latae sententiae* vel *ferendae sententiae.* – Et censurae sunt *latae sententiae,* si, in ipsa lege vel praecepto taxative statutae, ita sint additae legi vel praecepto, ut ipso facto commissi delicti incurrantur: c. 2217, § 1, 1°, 2°, ideoque delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro teneant: c. 2232, § 1. — Sunt vero

ferendae sententiae, si taxative additae sunt quidem legi vel praecepto, sed a iudice vel Superiore infligi debent per sententiam condemnatoriam : c. 2217, § 1, 3°, ex qua data delinquentem tenent in utroque foro. — Iamvero « poena *(et idcirco etiam* quaelibet *censura)* intelligitur semper *ferendae sententiae,* nisi expresse dicatur, eam esse *latae sententiae* vel *ipso facto* seu *ipso iure* contrahi, vel nisi *alia similia verba* adhibeantur » : c. 2217, § 2. Porro *alia verba similia* sunt ea, quae ministerium seu operam alterius excludunt, e. g., *eo ipso, sine alia sententia ;* aut verba quae sunt temporis *praesentis* aut *praeteriti,* aut *modi imperativi,* e. g., *suspendimus, suspensus est, suspensus maneat.*

2.° **Ratione institutionis** seu ferentis, censurae sunt *a iure,* si taxative seu determinate in ipsa lege statuantur, latae vel ferendae sententiae ; sunt *ab homine,* si ferantur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure statutae ; quare poena ferendae sententiae, legi addita ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum,* postea est *a iure* simul *et ab homine,* sed consideratur tamquam *ab homine :* c. 2217, § 1, 3.°

3.° **Ratione vulgationis** seu exsistendi in subiecto, censura erit *publica* vel *notoria* vel *occulta.* Est notoria vel publica si publice constet quempiam in eam incidisse, aut latere diu non possit ; quod contingere potest *iure* vel *facto,* prout dicitur, de delicto (n. 2). Secus est *occulta ;* occulta, inquam, non solum si delictum sit *materialiter et formaliter* simul occultum, sed etiam si delictum sit occultum solum *materialiter,* eo quod latet factum, vel solum *formaliter,* eo quod latet eius imputabilitas. — Scientia facti, imputabilitatis, vel utriusque simul quae esset uni vel alteri personae, censuram non redderet publicam.

4.° **Ratione absolutionis,** censurae sunt aliae *reservatae,* aliae *non reservatae.* Et *nemini reservata* dicitur, a qua quilibet confessarius in foro sacramentali valet absolvere, et in foro externo is, qui in reum iurisdictione

potitur. Ex *reservatis* autem aliae reservatae sunt *simplici*, aut *speciali*, aut *specialissimo modo* Apostolicae Sedi; aliae vero *Ordinario*, sive a iure (Nobis), sive ab eodem (a Nobis). Censura *ab homine* est semper reservata ferenti, eius successori, eius superiori, eius delegato (n. 15).

5.° **Ratione speciei** censurae dividuntur in excommunicationes, interdicta, suspensiones (n. 32).

Adn. a. Censura dicitur *valida et iusta*, quae nullo defectu laborat; *iniusta, sed valida* quae habet defectum accidentalem; *iniusta et invalida*, quae defectu substantiali vitiatur.

b. « **Censura** *latae sententiae* non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget » : c. 2245, § 4. — *Dubium iuris* esset, si non certe constaret de *lege reservationis*, an adsit, an se extendat etiam ad hunc casum; *dubium facti* esset, si non certe constaret, delictum commissum esse aut taliter commissum quod sit reservationi obnoxium. Cf. n. 16.

c. De censura *ferendae sententiae* hac memineris quod iam dictum est: etsi *a iure* sit, cum inflicta fuerit, fit sententia *ab homine*, et sic natura sua est *reservata* (n. 15).

6. *Quinam in Ecclesia potestatem de iure habeant censuras ferendi seu irrogandi.*

Praemittitur ius. — Can. 196. Potestas *iurisdictionis* seu *regiminis*, quae *ex divina institutione* est in Ecclesia, alia est fori *externi*, alia fori *interni*, seu *conscientiae*, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis.

Can. 197, § 1. Potestas iurisdictionis *ordinaria* ea est, quae *ipso iure* adnexa est *officio*; *delegata*, quae commissa est *personae*.

Can. 198. In iure nomine **Ordinarii** intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii, qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro

suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.

Can. 488, 8°: **Superiores maiores**: « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ».

Can. 7. **Nomine** *Sedis Apostolicae* vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, *Congregationes, Tribunalia, Officia,* per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

Can. 200, § 1. Potestas iurisdictionis *ordinaria*... late interpretanda est.

Can. 201. Potestas iurisdictionis potest in solos subditos *directe* exerceri.

Can. 2220, § 1. Qui pollent potestate *leges ferendi*, vel *praecepta imponendi,* possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere.

Can. 2221. *Legislativam* habentes potestatem possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam ob peculiaria rerum adiuncta legem tam divinam quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare.

Can. 2247, § 1. Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre.

Ex hoc iure censuras legibus vel praeceptis adnectere possunt:

1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, statim ab accepta legitima electione, *pro universa Ecclesia,* quia ex tunc obtinet, iure divino, supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, ordinariam et vere episcopalem, et immediatam tum in omnes et singulas ecclesias, tum in

omnes et singulos pastores et fideles, sive in rebus, quae ad fidem et mores, sive in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent: c. 218, §§ 1, 2; 219.

2. Congregationes ac **Tribunalia** Curiae Romanae intra ambitum suae competentiae. Attamen decreta *generalia* edere nequeunt nisi post approbationem R. Pontificis: *Motu Proprio* Benedicti XV, d. 15 sept. 1917.

3. Episcopi residentiales, *pro sua quisque dioecesi,* ab accepta canonica dioecesis possessione: c. 334; qui «sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis»: c. 329, § 1; unde «ius ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda»: c. 335, § 1.

4. Vicarii et **Praefecti Apostolici** pro suis territoriis, in quibus pollent *iisdem iuribus et facultatibus,* quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus: c. 294, § 1. — «Iura, officia ac privilegia **Administratoris Apostolici** desumantur ex litteris suae deputationis, vel nisi in iisdem aliud caveatur expresse, ex praescripto canonum qui sequuntur»: c. 314; idest ex praescripto cc. 315–318. Unde de illis regula generalis dari nequit.

5. Abbates vel **Praelati** *nullius (dioecesis),* qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo: c. 319; quisque in *suo territorio,* post acceptam abbatiae vel praelaturae possessionem: c. 322; «quia easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habent, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi»: c. 323, § 1; dummodo abbatia vel praelatura *tribus* saltem paroeciis constet, quia secus iure singulari regitur: c. 319.

6. Omnes, qui, Romano Pontifice, Episcopis residentialibus, Abbatibus vel Praelatis *nullius* (de Administratoribus dictum est prius), Vicariis et Praefectis Apostolicis deficientibus, interim *ex iure praescripto* aut ex *probatis constitutionibus* succedunt in regimine, quique proinde nomine *Ordinarii* appellantur. Unde etiam *Vicarius Capitularis* (qui a Capitulo deputandus est intra octo dies ab accepta notitia vacationis sedis, et ad quem tota devolvenda est iurisdictio Episcopi, quae ad Capitulum devenerat: c. 432), immo et **Capitulum** ante Vicarii electionem, possunt praeceptis suis, vel legi generali vigenti in loco, vel legibus particularibus item vigentibus in loco, censuras adnectere.

7. Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, qui in iure *Ordinarii* dicuntur, *pro suis subditis;* Ordinum **Ca-**

pitula ; immo etiam superiores locales (guardiani, rectores) qui praecepta imponendi ius et officium habent; nisi obstent constitutiones, quae potissimum attendendae sunt.

8. Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus, *pro sua dioecesi,* ut Episcopus residentialis pro dioecesi propria, a canonica sedis possessione accepta: c. 240, § 1. — *Cardinales* ceteri in suis titulis vel diaconiis qualibet iurisdictione *in fideles* carent: c. 240, § 2.

9. Legati Romani Pontificis *ordinaria* iurisdictione non gaudent, unde, si quid valent, valent ex specialiter *delegata :* c. 265-270. — Item *Patriarcha* et *Primas,* praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae, nullam iurisdictionem specialem *de iure* habent extra propriam dioecesim : c. 271.

10. Metropolita seu **Archiepiscopus** cum sede Episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata: c. 272, in dioecesibus suffraganeis c. 274; post pallii impositionem: c. 275-276, poenis et censuris mulctare poterit solum *clericos,* ob notoria crimina, manifestas et notorias offensas tum sibi tum suis illatas, *canonica visitatione durante :* c. 274, 5°. Et potest aliquando cognoscere de censuris a suffraganeis illatis: c. 273, 7°.

11. Concilium Oecumenicum *pro universa Ecclesia,* dummodo fuerit a Romano Pontifice convocatum: c. 222 et eius decreta a Romano Pontifice confirmata eiusque iussu promulgata : c. 227.

12. Concilia plenaria et provincialia, quae legitime convocata: c. 281, et peracta fuerint: c. 282, postquam decreta eorum (a S. C. C. expensa et recognita c. 291. § 1), fuerint promulgata cum obligatione in suo cuiusque territorio universo: c. 291, § 2.

13. Synodus dioecesana, pro dioecesi ; si convocata fuerit ab Episcopo : c. 357, et si eius constitutiones subscriptae et promulgatae fuerint ab Episcopo, qui unicus est in Synodo legislator : c. 362.

14. Vicarius Generalis excipitur expresse et, aliter ac antea, censuras et poenas infligere *nequit,* nisi ex speciali mandato: c. 2220, § 2.

15. Parochus, ut dicatur censuras infligere nullo modo posse, *exceptione* non indiget, cum ipse nec potestatem dominativam, qua praecepta veri nominis imponuntur, nec iurisdictionem fori externi habeat.

Adn. a. « *Nativum et proprium Ecclesiae ius est,* independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus » : c. 2214, § 1.

b. Ius ferendi censuras Ecclesiae detraxerunt quicumque Ecclesiam esse societatem perfectam infitiati sunt. Horum errores, denuo erumpentes, denuo Ecclesia confixit. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion symbolorum*, Friburgi 1811, nn. 499 (*Marsilius Patav.*), 591, 610 (*Wicleff*), 645 (*Hus*), 763 (*Lutherus*), 1440 (*Quesnellus*), 1546 (*Synodus Pistor.*).

c. *Censurae*, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur nisi sobrie et magna cum circumspectione: c. 2241, § 2; profecto quia sunt poenae gravissimae et ad bonum delinquentis potissimum adhibendae tamquam medicinae, quae usurpantur quando censentur salutares.

d. *Praescriptum* can. 2214, § 2 iuvat etiam referre, quia vox Piae Matris Ecclesiae est: « Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid. », *sess. XIII. de ref. cap. I*: « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores, non percussores, esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et, qui correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur ».

7. *Quinam censuras irrogare possint potestate delegata et quinam censuras legitime statutas applicare.*

Praemittitur ius. — Can. 199. Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri *ex toto vel ex parte delegare*, nisi aliud expresse iure caveatur. — *Etiam* potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata *subdelegari* potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita. — Potestas *delegata ad universitatem* negotiorum ab eo, qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest *in singulis casibus subdelegari*. — *In aliis casibus*

potestas inrisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta.... — *Nulla subdelegata* potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum sit.

Can. 200. Potestas iurisdictionis ordinaria et *ad universitatem* negotiorum delegata, late interpretanda est; alia quaelibet stricte...

Can. 207, § 1. Potestas delegata *exstinguitur*, exploto mandato ; elapso tempore aut exhausto numero casuum, pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis ; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata ; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus, de quibus in can. 61.

Can. 203. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit. — Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea, ad quae delegatus est, peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tamquam conditio.

Can. 2220, § 1. Qui pollent potestate *iudiciali* tantum, possunt solummodo poenas, *legitime statutas*, ad normam iuris applicare.

Ex hoc iure : 1. Facultas plane determinatur, qua clerici censuras *ad normam iuris* irrogare valeant ex potestate delegata, etenim nonnisi *clerici* seu prima tonsura saltem insigniti, modo ad laicalem statum legitime redacti aut regressi non sint ad normam canonum 211-214, iurisdictionis potestatem obtinere possunt : c. 118.

2. Et censuras legitime statutas applicare possunt :

a) Ubique locorum et omnibus Ecclesiae Latinae christifidelibus Tribunal Congregationis S. Officii : c. 247, 1, 7 ; sane praeter Romanum Pontificem : c. 1569, § 1.

b) In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, loci Ordinarius : c. 1572, § 1, nec non Officialis, qui eligendus est cum potestate ordinaria, a Vicario Generali distinctus, nisi parvitas dioecesis aliud suadeat : c. 1573, § 1 ; qui unum constituit tribunal cum Episcopo loci, sed nequit iudicare causas, quas Episcopus sibi reservat : c. 1573, § 2 ; *suis*

subditis non solum, sed et *peregrinis,* qui ratione delicti forum sortiuntur in loco patrati delicti; et licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum, et sententiam ferendi: c. 1566; et *vagis,* qui proprium forum habent in loco, ubi actu commorantur: c. 1563.

3. Applicare censuras debent ad normam iuris, videlicet canonum 1552-1959. Heic speciatim adnotamus:

a) «**Nulla poena** (*ideoque nulla censura*) infligi potest nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum»: c. 2233, § 1. — Quinimmo: «licet id legitime constet (*quia, e. g., delictum publicum est et evidenter inexcusabile*), si agatur de infligenda *censura*, reus reprehendatur ac moneatur, ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3, dato, si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; contumacia persistente, censura infligi potest»: c. 2233, § 2. — Ad *censuram* irrogandam secus ac poenam vindicativam, *monitio,* quae praecedat, requiritur, quia censura nonnisi in *contumacem* ferri potest.

b) «**Si poena** declaretur vel infligatur per sententiam iudicialem, serventur can. praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem; si vero poena *latae* vel *ferendae sententiae* inflicta sit ad modum praecepti particularis, scripto aut coram duobus testibus *ordinarie* declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193»; c. 2225. — Praescripto autem can. 2193 «prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur *suspensionis* causam seu delictum clerico patefacere aut reticere». — Vox *ordinarie* significat hunc modum non esse taxative praescriptum nec unice adhibendum. Praeceptum forma *ordinaria* datum regitur can. 24. Cf. n. 8, adn. *b.*

Adn. a. «Si lex posterior tollat legem vel poenam tantum haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis» c. 2226, § 3.

b. «*Legitimus Superior*, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum, aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi *clericum,* de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi *clerico* exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae»: c. 2222, § 2.

c. *Poenam latae sententiae* declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis, cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet»: c. 2223, § 4.

d. « *Iudex,* qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit » : c. 2236, § 3. — « *Qui* potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere » : c. 2236, § 2.

8. *Quae sit sententia declaratoria vel condemnatoria, et quae poena dicatur lata per modum praecepti.*

R. 1.° **Sententia declaratoria** fertur in iudicio, eaque legitimus iudex vel Superior competens et munere iudicis fungens declarat, delinquentem censuram *latae sententiae* contraxisse, probato prius delicto, quod censura latae sententiae plectitur. Et « sententia declaratoria poenam (*ideoque et censuram*) ad momentum commissi delicti retro trahit » : c. 2232, § 2 ; retrotrahit, inquam, quod attinet ad effectus canonicos ipsius censurae, in foro externo ; etenim poena « *latae sententiae* sive medicinalis *(censura)* sive vindicativa *(poena)* delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet » : c. 2232, § 1. Censura seu poena post sententiam *declaratoriam* non fit censura *ab homine*, et idcirco poena seu censura non est reservata ratione sententiae.

2.° **Sententia condemnatoria** item non nisi in iudicio fertur, atque eam legitimus iudex vel Superior competens atque agens ut iudex, ad normam canonum, delinquenti ob commissum et probatum delictum infligit seu applicat poenam vel censuram *ferendae sententiae,* quae violatae legi seu praecepto adnexa est, infligenda per iudicem. Iamvero poena seu censura ita inflicta, ut patet, non nisi *a prolata sententia* tenet. Et censura seu poena sic illata, etsi a iure statuta, fit censura *ab homine,* et proinde reservata ratione sui.

Adn. a. Locutio *per modum praecepti* opponitur locutioni *per modum iudicii*. — *Praeceptum* poenae servandae datur extra iudicium, et *solum a Superiore* competenti dari potest, canonicis monitionibus etiam omissis ; et quaelibet poena sive medicinalis sive vindicativa ferri potest *per modum praecepti*, dummodo delictum sit certum. — *Sententia* poenae solvendae datur in iudi-

cio a *legitimo iudice* vel etiam ab ipso Superiore *munere iudicis* fungente, probato iudicialiter delicto: c. 1869, § 4. — Cf. n. 11, 12, 136.

b. Censura seu poena, quae infligatur per *modum praecepti, ordinarie* scripto aut coram duobus testibus est infligenda: c. 2225; et cf. n. 7, *b*. Quae inflicta fuerit scripto aut coram duobus testibus, regitur canone 24, et proinde non solum iudicialiter urgeri potest sed resoluto iure praecipientis non cessat.

c. Ne confundas censurae declarationem cum eiusdem denuntiatione. *Denuntiatio* est publicatio censurae ad perfectam et consummatam sollemnitatem in forma censurae servandam, qua censura per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam *publici iuris* fit legitimo publicationis modo, e. g., insertione in Officiali Diario. « Duplex ratio redditur huius publicationis (ait Suarez, disp. III, n. 1). Prima, ut ipsis excommunicatis ubique locorum occludatur aditus ecclesiasticus. Secunda, ut excusationis causa omnibus auferatur ». — Declaratio remittitur Superioris prudentiae. *In praxi* eo ipso quod censurae sententia declaratoria vel condemnatoria *publicatur* servatis servandis, habetur etiam censurae denuntiatio.

d. Sententia excommunicationis, quae aliquando legitur lata in mortuos, non fuit condemnatoria sed mere declaratoria, quatenus Ecclesia, ad fideles salutari timore percutiendos, declaravit talem haereticum aut delinquentem censuram incurrisse ideoque ut censuratum non admittendum esse quasi participem publicorum suffragiorum et ecclesiasticae sepulturae.

9. *Quinam sint censuris obnoxii, quinam vero non.*

Can. 2226, § 1. Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur.

Unde: 1. Censuris a iure latae sententiae non nisi qui pertinent ad Ecclesiam Latinam obnoxii sunt, et quidem *si non eximantur; non obnoxii* sunt qui pertinent ad Ecclesiam orientalem: c. 1.

2. Romanus Pontifex, uti patet, nulli censurae, nulli poenae nullique sententiae obnoxius esse potest, quia Ipse est supremus legislator atque plenam et summam potestatem iurisdictionis habet in universam Ecclesiam. Nec ullus Ordinarius seu Superior est obnoxius censurae a se vel a suo antecessore aut inferiore latas.

3. Cardinales S. R. E. *ab omnibus poenis* eximuntur, ita quidem ut tunc solum sint habendi illis obnoxii, cum *explicite* nominati fuerint in lege poenali: c. 2227, § 2; idque ab eorum creatione et publicatione facta a Romano Pontifice: c. 233.

4. Episcopi, si non nominati sint explicite in lege, eximuntur a *suspensionibus et interdictis* a iure latae sententiae: c. 2227; idque ab accepta notitia eorum peractae canonicae provisionis: c. 349. Sed obnoxii manent *omnibus censuris ferendae sententiae,* necnon *excommunicationibus latae sententiae. — Episcopi residentiales et titulares* in criminalibus iudicandi sunt a Romano Pontifice, qui solus igitur potest illis poenas et censuras infligere: c. 1557, § 2, 1°; 2227, § 1.

5. Reges, reginae, et « **qui** supremum tenent populorum principatum *horumque* filii et filiae, quibus ius est proxime succedendi in principatum » a censuris *iuris canonici seu pontificii* non eximuntur; a censuris *episcopalibus* eximuntur; eis autem poenas infligere et ab eis contractas declarare potest solum Romanus Pontifex: c. 1557, § 1, 1°; 2227, § 1.

6. Impuberes (*femina* infra aetatis annum 12 completum, et *vir* infra 14: c. 88) excusantur ab omnibus censuris, necnon poenis vindicativis sive iuris communis sive iuris particularis: c. 2230. *Excusantur,* inquam, a censuris et poenis incurrendis, non vero a *reatu culpae.* Attamen censuras et poenas easdem illi incurrent, *etsi non nominentur in lege,* qui cum eis ex communi consilio et opera physica concurrerint in delictum, vel eos ad delictum adduxerint *eo influxu, sine quo* delictum non fuisset patratum: c. 2230; 2209, § 1-3.

7. Religiosi exempti de iure non eximuntur censuris episcopalibus, quando extra domum illegitime degunt, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores: c. 616, § 1; et si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint: c. 616, § 2. — Id etiam dicendum, si delinquant circa ea, in quibus (c. 831, § 3: 1274, § 1; 1291, § 1; 1293, 1382, 1516) iurisdictioni episcopali subsunt. — Diximus *de iure,* quia dari potest privilegium, legitime quaesitum, quo valeant censuras et poenas semper vitare.

8. Peregrini: *a)* censuris latae sententiae adnexis legibus particularibus sui territorii, quamdiu ab eo abfuerint, non sunt obnoxii, nisi aut legum transgressio in proprio territorio noceat (tunc essent quasi in domicilio *fictione iuris*) aut leges sint personales: c. 14, § 1, 1.° — *b)* neque censuris latae sententiae adnexis legibus territorii, in quo versantur, nisi agatur de legibus quae ordini publico consulunt, vel actuum

sollemnia determinant: can. 14, § 1, 2°. — *c*) sed censuris latae sententiae adnexis legi generali et vigenti in loco ubi versantur, subiiciuntur, licet lex eadem non vigeat in territorio eorum domicilii: c. 14, § 1. 3°. — *d*) quoad censuras ferendae sententiae aliasque poenas quae inferri possunt ob delictum, peregrini fiunt subditi Ordinario loci, in quo delinquunt: c. 1566, § 1.

9. « **Vagi** obligantur legibus tam generalibus quam *particularibus,* quae vigent in loco, in quo versantur »: c. 14, § 2.

10. Incola, delinquens in loco domicilii exempto, e. g., in monasterio, censetur, in ordine ad observantiam legis particularis sui domicilii, quasi peregrinus, quia leges praesumuntur territoriales: c. 8, § 2; et ideo censurae, adnexae legi violatae, obnoxius est, vel non, ut dictum est supra de peregrinis. Secus, si incola delinquit contra praeceptum, quod sequitur personam et ubique locorum tenet.

Adn. a. « **Persona** dicitur: *incola,* in loco ubi domicilium, *advena* in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium, quod adhuc retinet: *vagus,* si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium » : c. 91.

b. « **Domicilium** acquiritur *commoratione* in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel *coniuncta* sit cum animo ibi *perpetuo* manendi, si nihil inde avocet, *vel* sit *protracta ad decennium* completum.

Quasi-domicilium acquiritur *commoratione* uti supra, quae *vel coniuncta* sit cum animo ibi manendi saltem ad *maiorem* anni partem, si nihil inde avocet, *vel* sit *reapse protracta* ad maiorem anni partem.

Domicilium vel **quasi-domicilium** in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *parocciale:* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum:* c. 92.

Domicilium et quasi-domicilium amittitur *discessione* a loco *cum animo* non revertendi, salvo praescripto can. 93 » : c. 95.

c. *Impuberes* « potius punitionibus *educativis* quam censuris aliisve poenis vindicativis corrigantur » : c. 2230. — Est distinctio poenarum nova, qua Ecclesia impuberibus maximam servat reverentiam, eamque esse illis servandam docet nos omnes praesertim parentes et educatores.

d. *Excommunicatio* afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; *interdictum* et *suspensio* etiam communitatem ut personam moralem: c. 2255, § 2.

10. *Cooperatores seu concurrentes in delictum quomodo sint habendi censuris obnoxii.*

R. 1. **Imputabilitas** delicti cooperatoribus tribuenda erit ad normam iuris sequentis:

Can. 2209, § 1. Qui *communi delinquendi consilio simul physice concurrunt* in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant.

§ 2. In delicto, quod *sua natura* complicem postulat, *unaquaeque pars* est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat.

§ 3. *Non solum mandans*, qui est principalis delicti auctor, *sed etiam qui* ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, *si delictum sine eorum opera commissum non fuisset.*

§ 4. Si vero eorum concursus *facilius* tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secum fert.

§ 5. Qui suum influxum in delictum patrandum *opportuna retractatione abduxerit plene*, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit; *si non abduxerit plene*, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem.

§ 6. Qui in delictum concurrit, suum dumtaxat officium *negligendo*, imputabilitate tenetur proportionata obligationi, qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum.

§ 7. Delicti patrati *laudatio*, fructuum *participatio*, delinquentis *occultatio* et *receptatio* aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; *sed*, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum *conventum fuerit*, non secum ferunt *delicti patrati* imputabilitatem.

2. **Applicatio censurarum** et irrogatio poenarum cooperatoribus erit facienda ad normam iuris huiusmodi:

Can. 2219, § 3. *Non licet* poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, *quamvis* par adsit ratio, immo gravior, salvo tamen praescripto : c. 2231.

§ 1. In poenis *benignior* est interpretatio facienda.

Can. 2246, § 2. Reservatio *strictam* recipit interpretationem.

Can. 2231. *Si plures* ad delictum perpetrandum concurrerint, *licet unus* tantum in lege nominetur, *ii quoque*, de quibus in can. 2209, §§ 1–3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena : *ceteri* vero non item, sed alia iusta poena pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.

Can. 2230. Impuberes excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur ; *puberes vero, qui* eos ad legem violandam induxerint *vel cum eis* in delictum concurrerint, ad normam can. 2209, §§ 1–3, *ipsi* quidem poenam lege statutam incurrunt.

3. **Inde regulae generales** tres colliguntur :

Prima (ex can. 2219, § 3, 1 ; 2246, § 2) est, ut *nemo* sit censuris subiiciendus *nisi* explicite in lege censurae dicatur censurae obnoxius, *etsi* par adsit ratio, immo gravior quam pro nominato : *et in dubio*, sive iuris sive facti, nemo, etsi nominatus, sit censurae seu poenae subiiciendus.

Secunda (ex can. 2231–2230) est, ut *illi habendi sint* censuris seu poenis obnoxii, etiam si non explicite nominentur in lege censurae seu poenae, *qui afficiuntur* can. 2209, §§ 1–3 ; scilicet :

a) Cooperatores positivi et explicite formales, qui, cum pubere vel impubere, *ex communi* delinquendi consilio et opera physica concurrerint in delicto ;

b) Cooperatores positivi et implicite formales, qui, cum pubere vel impubere, delictum, quod *natura sua* complicem postulat, patraverint ;

c) Mandantes et quotquot alii quempiam, sive puberem sive impuberem, ad consummationem delicti *ita* indu-

xerint aut in eam quoquo modo *ita* concurrerint, *ut* sine tali mandato aut tali concursu delictum *commissum non fuisset*. — Profecto nisi hi omnes explicite non eximantur ipsa lege.

Tertia (ex can. 2209, §§ 4, 5, 6, 7 : 2219, § 3) est, ut *ceteri omnes,* qui aliis modis a supradictis ad delictum cooperati fuerint vel in illud concurrerint, non habeantur obnoxii *censuris* nisi explicite *inducantur* in lege : *a) non illi*, quorum concursus *facilius* tantum reddidit delictum, quod etiam *sine eorum concursu* commissum fuisset ; *b) non illi*, qui suum influxum *plene* aut etiam *non plene* abduxerint ; *c) non illi,* qui in delictum concurrerint suum dumtaxat officium negligendo, *mutus* nempe, *non obstans, non manifestans ; d) non illi,* qui delictum iam *patratum* laudant, de eiusdem fructibus participant, delinquentem occultant vel receptant, aliisve actibus post delictum iam plene patratum peccant *(palpo, recursus).* Hi sane peccant ; horum actus mali possunt in lege plecti poenis et exinde fieri atque haberi ut nova delicta ; sed in foro externo ecclesiastico non secum ferunt delicti patrati imputabilitatem, nisi uno in casu, si nempe de iisdem conventum fuerit ante delictum.

Adn. a. *Regulae* huiusmodi prae oculis sane habendae sunt accedentibus ad singulas censuras legendas et explicandas. Ita etiam *Ferreres,* II, n. 1182, *Pighi,* p. 8, *Sole,* n. 123. Non ita, sed contra *Cappello* p. 127, et *Cavigioli*, n. 34 ; nullo tamen solido argumento adducto. — Profecto hoc ius, noviter atque opportunissime datum, explicare valet, cur censurae Novi Codicis, secus ac illae iuris antiqui, nunquam mentionem faciant de cooperatoribus, ne de mandante quidem, « qui est principalis delicti auctor » : c. 2209, § 3.

b. *Effugientes* censuram possunt aliis poenis plecti a legitimo Superiore. Cf. n. 6.

11. *Censura (itemque poena) latae sententiae quandonam obligationem suam seu effectum exserat.*

Can. 2232, § 1. Poena *latae sententiae,* sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, *ipso facto* in *utroque foro* tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens *excusatur, quoties* eam servare sine infamia nequit; *et in foro externo* ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4. (*Quod est:* « Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis, cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet »).

§ 2. Sententia *declaratoria* poenam ad momentum commissi delicti retro trahit.

Unde: 1. Censurae *latae sententiae* (excommunicatio, suspensio, interdictum) ex ipso momento commissi delicti obligant *in conscientia et in foro externo* coram Ecclesia; obligant sane unaquaeque sua obligatione. Id sequitur ex ipsa notione poenarum *latae sententiae:* c. 2217.

2. Ante sententiam declaratoriam (n. 8) censuratus ab effectu censurae *in foro externo,* et proinde etiam in conscientia, excusatur quoties ex servato effectu infamia sui ipsius sequeretur. Et sic iure conceditur, ut sacerdos *excommunicatus occultus* possit sacramenta administrare petentibus: iure etiam prohibetur, quominus fidelis *excommunicatus occultus* ab actibus legitimis ecclesiasticis arceatur, si inde infamia illius sequeretur. Sed post datam sententiam declaratoriam censuratus nullam habebit causam excusantem ex parte suae famae servandae. — Praevalet ius naturale: *nemo tenetur prodere seipsum.*

3. Sententia declaratoria superveniens poenam seu effectum censurae retro trahit usque ad principium illius. Idcirco, si, e. g., Titius et Caius concurrerint ad officium vel beneficium ecclesiasticum, illudque obtinuerit Titius, qui excommunicatione latae sententiae tenetur ob delictum hucusque occultum, poterit Caius, cuius interest, sententiam declaratoriam petere, qua data, Titius officium vel beneficium de iure amittit: c. 2265, § 1, 2°, cum effectu retroactivo usque ad acceptionem beneficii, quae fuit nulla: c. 2232, § 2. Cf. n. 8, 136.

Adn. « *Poena* reum ubique locorum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur »: c. 2226, § 4. — Hoc de *poena* in genere. Expresse autem cavetur: *a)* ne censura

contracta cesset licet lex posterior legem vel poenam tollat; *b*) ut poena vindicativa, licet contracta, cesset si lex posterior legem vel poenam ipsius tollat: c. 2226, § 3; *c*) si Ordinarius poenam *inflixerit ad suum beneplacitum,* poena cessat, resoluto iure Ordinarii: *Sole,* n. 110.

12. *Quandonam effectum seu obligationem suam exserat censura ferendae sententiae.*

Can. 2243, § 1. « Censurae inflictae per sententiam iudicialem, statim ac latae fuerint, exsecutionem secum ferunt . . . . ».

Adn. a. Huiusmodi censurae indigent sententia, qua applicentur; et profecto nequeunt ligare obnoxium priusquam illi applicentur, quia nullus reus tenetur sententia iudicis, priusquam iudiciali sententia damnetur. Ideoque nihil dicitur de vi *retroactiva* sententiae condemnatoriae, qua censura ferendae sententiae, legi seu praecepto adnexa, infligatur delinquenti; quia talis censura, secus ac illa latae sententiae, ante sententiam iudicis in delinquentem non subsistit.

b. Discrimen est inter sententiam condemnatoriam, quae locum habet in poenis *ferendae sententiae,* et sententiam declaratoriam, quae locum habet in poenis *latae sententiae.* Iudex per primam *infligit poenam,* prius non contractam; per alteram *declarat delictum* esse perfectum secundum proprietatem verborum legis: c. 2228, ideoque *poenam esse contractam* a momento delicti.

13. *An contra inflictas censuras detur recursus, et qualis.*

Can. 2243, § 1. Censurae inflictae *per sententiam iudicialem,* statim ac latae fuerint, exsecutionem secum ferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo; *item* a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum.

Unde: 1. Nullus recursus datur contra censuras a iure *latae sententiae,* nec profecto contra latas, ut dicitur, nominatim, quibus quis fiat *vitandus;* quia legislator in censuris a iure latae sententiae est Romanus Pontifex, et quia sola Apostolica Sedes potest quempiam *nominatim* excommunicare: c. 2258, § 2; praeterea quaelibet censura, quae sit iam iudicialiter inflicta, ab ipsa

sententia data *incurritur,* nullo exsecutore indiget, indiget tantum legitima absolutione.

2. Recursus contra inflictas censuras *ab homine*, sive per praeceptum extra iudicium, sive per sententiam in iudicio, ideoque iam contractas, conceditur, sed *in devolutivo,* non autem *in suspensivo.* — Discrimen inter recursum unum et alterum est huiusmodi: recursus seu appellatio « in suspensivo » *executionem* appellatae sententiae suspendit, ac propterea in suo robore permanet principium: « *lite pendente, nihil innovetur* »; appellatio seu recursus *in devolutivo*, non suspendit *executionem* sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae »: c. 1889, § 1.

3. « **Appellatio** vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto *comminante* censuras etiam latae sententiae *nondum contractas*, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, *si agatur de re,* in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo; *secus* censuras suspendunt. firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto »: c. 2243, § 2.

Adn. a. *Appellatio* seu *recursus* promoveatur a parte, quae a sententia se gravatam putat, et consistit in provocatione ab inferiore iudice, qui sententiam tulit, ad Superiorem: c. 1879. — Est tamen discrimen inter *appellationem* et *recursum.* (Lege inferius, ad *c*). Et appellatio contra iudicialem sententiam potissimum venit; recursus vero negotia extra-iudicialia respicit.

b. « *Appellationi* non est locus:

1.° A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae;

2.° A sententia iudicis, qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula » *appellatione remota* »:

3.° A sententia vitio nullitatis infecta;

4.° A sententia, quae in rem iudicatam transiit;

5.° A definitiva, quae iure iurando litis decisorio innixa est;

6.° A iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;

7.° A sententia in causa, pro qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam;

8.° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit;

9.° A sententia lata contra eum, qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare »: c. 1880.

c. « *Interponi* debet coram iudice, a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae » : c. 1881. Potest interponi *oretenus* coram iudice, dum sententia publice legitur; secus in scriptis : c. 1882. Si appellatio non fiat intra legitimum tempus, sententia dicitur transire *in rem iudicatam* : c. 1902 ; et appellatio, quae post huiusmodi tempus fieret, *recursus* proprie dicitur, qui poterit ad arbitrium Superioris non admitti:

d. *Prosequenda* est coram iudice, ad quem dirigitur, intra mensem ab eius interpretatione.

e. *A tribunali* primae instantiae, quod est in unaquaque dioecesi penes Episcopum (c. 1572), appellatur ad tribunal secundae instantiae, quod est penes Metropolitam (c. 1594) vel ad Sacram Romanam Rotam (c. 1599) vel ad Congregationem S. Officii : c. 247, § 2. — Cf. de poenis, n. 137.

14. *An etiam eiusdem speciei censurae, sive a iure sive ab homine, multiplicari possunt in eodem subiecto, et quo modo.*

Can. 2244, § 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari.

§ 2. Censurae latae sententiae multiplicantur :

1.° Si diversa delicta, quorum singula censuram secum ferunt, eadem vel distincta actione committantur ;

2.° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta ;

3.° Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur.

§ 3. Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant.

Unde : 1. Si quis dando nomen sectae massonicae : c. 2335, haeresim proferat : c. 2314, § 1, et species consecratas abiiciat : c. 2210, in *tres* excommunicationes incurrit Apostolicae Sedi reservatas, quarum prima reservata est *simplici,* secunda *speciali,* tertia *specialissimo modo.*

2. Confessarius, qui bis sigillum sacramentale directe violaverit : c. 2369, § 1, etsi de una eademque materia, duplici excommunicatione eiusdem speciei Apostolicae Sedi specialissimo modo reservata innodatus exsistit.

3. Si Episcopus residentialis legitime instituerit suspensionem *ab officio* ipso iure incurrendam a parocho, qui falsas reliquias conficeret aut distribueret aut publicae venerationi exponeret, parochus uno eodemque delicto et *suspensionem* ab Episcopo latam et *excommunicationem* a iure *latae sententiae* Ordinariis reservatam: c. 2326, contraheret: et si non semel sed bis idem delictum committeret, bis eandem suspensionem atque eandem excommunicationem incurreret. Cf. cc. 898, 2247, § 1.

15. *Quae summatim dicenda sint de censura* ab homine.

R. 1.° Censura ab homine dicitur, quae vel per modum praecepti *peculiaris* fertur, vel, etsi iam in iure statuta *ferendae sententiae,* infligitur per sententiam *iudicialem* Superioris seu iudicis competentis: c. 2245, § 2.

2.° « **Est reservata** de sua natura, illique reservata, qui eam inflixit aut sententiam tulit eiusve Superiori competenti, vel successori vel delegato »: c. 2245, § 2.

3.° **Reservata est** eis ubique locorum ita ut censuratus nullibi absolvi possit ab alio quam a supradictis sine debitis facultatibus: c. 2247, § 2. Et hoc potissimum notandum est, quia regula generalis est, ut « reservatio censurae *(perinde ac peccati)* in particulari territorio, vim suam extra illius territorii fines non exserat, etiam si censuratus *(seu peccator)* ad absolutionem obtinendam a territorio egrediatur »: c. 2447, § 2; i. e. egrediatur, ut in scholis dicebatur, *in fraudem legis.*

4.° **In periculo mortis** a quolibet sacerdote, et a quolibet confessario *etiam in casibus urgentioribus,* potest censuratus absolvi *de iure,* imposita obligatione recurrendi ad illum, qui censuram tulit aliumve Superiorem competentem, intra mensem, sub poena reincidentiae, et standi mandatis, quae data fuerint: c. 2252, 2254.

5.° **Extra periculum mortis** et casus urgentiores, si confessarius simplex, ignorans reservationem, poenitentem a censura huiusmodi et a peccato absolvat, non valide absolvit a censura, nec *directe* absolvit a peccato: c. 2247, § 3.

6.° **Etiam censura** *ab homine* de iure est remittenda delinquenti statim ac ipse a contumacia recesserit et satisfactionem dederit : c. 2248, § 2.

Adn. *Natura* censurae *ab homine,* quae sit censenda, iam clare patet ex novo iure. *Olim* canonistae dicebant censuram *ab homine* etiam illam censuram, quae irrogata fuisset per modum praecepti *generalis ;* putabant enim Episcopum extra synodum non habere potestatem leges ferendi, sed ferendi solum *praecepta* ; qua re existimabant, reservationes episcopales extra synodum institutas, licet consulto capitulo, itemque censuras nonnisi praecepta esse, et cessare reservantis iure quovis modo resoluto. Cf. D'Annib. I, n. 3339 ; Bucceroni II, n. 1085. — *Hodie* tales censurae, per praeceptum generale institutae, dicendae sunt *a iure,* non *ab homine* et proinde, resoluto iure Episcopi, non cessant, sed perpetuae sunt per se. In dioecesi enim, sive in synodo sive extra synodum, unus legislator est Episcopus : cf. canones 362 ; 105, § 1 ; 895 ; 24 et S. C. C. 27 apr. 1592.

16. *Quae summatim dicenda sint de reservatione censurarum.*

R. 1.° **Reservatio** censurae fieri potest ab eo qui censuram ferre potest : c. 893.

2.° **Reservatio** strictam accipit interpretationem : c. 1246, § 2. Unde confessarius simplex potest absolvere a censura cuius reservatio sit dubia, sive iuris sive facti : c. 2245, § 4.

3.° **Reservari possunt** ab Ordinario loci etiam censurae a iure communi non reservatae. Sed quaelibet « censura *latae sententiae* non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur ; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget » : c. 2245, § 4 ; dum censurae *ferendae sententiae,* si infligantur, eo ipso, ut dictum est supra, fiunt censurae *ab homine,* ideoque natura sua reservatae.

4.° « **Ordinarius,** si censura Sedi Apostolicae *reservata sit,* nequit *aliam* censuram sibi reservatam in idem delictum ferre » : c. 2247, § 1. — Posset tamen ferre

aliam in conatum delicti seu delictum frustratum; vel etiam in delictum, si censura papalis non sit reservata.

5.° **Ordinarius** « ne reservet censuram, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendis conscientiis fidelium »: c. 2246, § 1.

6.° « **Reservatio** censurae in particulari territorio *(itemque reservatio peccatorum)* vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiam si censuratus *(itemque peccator)* ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur »: c. 2247, § 2. Unde hoc iure et fidelium bono melius consulitur et plures theologorum controversiae feliciter dirimuntur.

7.° **Si confessarius,** ignoraus reservationem, poenitentem *a censura ac peccato* absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura *ab homine* aut censura *specialissimo* modo Sedi Apostolicae reservata »: c. 2247, § 3; et valet etiam super peccato, quod, cessante reservatione, remittitur directe.

Unde, si Caius poenitens, excommunicationibus Ordinario et Apostolicae Sedi simplici et speciali modo reservatis innodatus, accedat ad Titum confessarium simplicem, atque ab eo, post peccatorum et *delictorum* censurarum accusationem, rite dispositus absolvatur *forma absolutionis consueta*, Caius valide a peccatis et excommunicationibus absolutus evadet. Nec reservatio cognita reviviscit ullo modo. *Non valide* tamen Titus absolveret a censuris, et proinde a *delictis* censurarum, si non ex ignorantia aut errore aut inadvertentia ageret. Immo si absolvere praesumpserit sciens, volens, in excommunicationem incideret: cf. n. 56. — Unde verba illa: « D. N. I. Ch. te absolvat, et ego auctoritate Ipsius te absolvo *ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti*, in quantum possum et tu indiges », quae a quolibet confessario sunt proferenda super quemlibet poenitentem absolvendum etiam solum a peccatis, exinde pleniorem sui rationem et veriorem sensum habitura sunt.

8.° **Reservatio** *censurae* impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem *peccati,* cui adnexa est; verum si quis *a censura* excusatur vel *ab eadem* fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat: c. 2246, § 3.

Haec regula generalis est; eàque accipiendae sunt *excommunicationes* et *interdicta personalia,* quae ipso iure vigent, Codice promulgato, quaeque receptionem Sacramentorum comportant. Quam ob rem; *a) nec delicta* erunt reservata, si causa aliqua, puta ignorantia invincibilis, agentem excusaverit a censuris huiusmodi incurrendis; *b) nec delicta* commissa manent reservata, si delinquens a contractis censuris *absolutus fuerit legitime,* puta per absolutionem datam a Superiore competenti in foro externo: c. 2251.

9.° **Praesumentes absolvere** sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae *specialissimo vel speciali modo* Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam: c. 2338, § 1. *Illicite* et *invalide* tamen simplex confessarius sciens, ut dictum est supra, attentaret absolutionem a censuris *reservatis* quibuslibet.

Adn. a. *Reservatio* est actus, quo « qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere et ferre censuras, nonnullos casus ad suum *avocant* iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes »: c. 893. Hinc habetur reservatio *peccatorum* et reservatio *censurarum.*

b. *Principium hoc:* « peccata reservantur propter censuram », quod can. 2246, § 3 sancitum est denuo, nunc extendendum est etiam ad casus episcopales, sepositis controversiis, de quibus S. Alph. VI, n. 581; Ball.-Palm. V, n. 725; D'Annib. I, n. 338. Unde cessante quomodocumque censura, aut *reservatione* censurae, *delictum* censurae a quolibet confessario potest absolvi.

c. *Benignitas* Ecclesiae quousque venerit, dum statuit ne ignorantia confessarii noceret poenitenti, nemo non videt: sed confessarius de ignorantia sua *culpabili* procul dubio tenebitur.

17. *Quae sint in primis notanda de absolutione censurarum in genere.*

R. 1.° « **Quaelibet** censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione » : c. 2248, § 1. Et etiam si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, poena censurae contractae non cessat : c. 2226, § 3. Unde censura contracta non cessat, resoluto iure Superioris aut sublata lege : sed omnis censura legitima absolutione indiget. — *Legitima* vero erit absolutio, quae data fuerit « ab eo, qui censuram tulit, vel a competente Superiore aut successore, vel ab eo, cui haec potestas commissa est » : c. 2236, § 1 ; nisi data absolutio ipso iure irrita sit ob vim aut metum gravem, quo extorta fuerit : c. 2238. Cfr. n. 21 et sqq.

2.° **Remittitur** « praesenti vel absenti, absolute vel conditionate, in foro externo vel interno tantum » : c. 2239, § 1 ; et absolutio data in foro externo valet etiam pro interno ; non autem vice versa : c. 2251.

3.° **Remitti** potest oretenus. Si tamen censura scriptis inflicta fuerit, expedit ut etiam eius absolutio in foro externo scriptis concedatur » : c. 2239, § 2.

Adn. a. *Quid* si censura lata est per praeceptum particulare sine scripto et sine testibus ? Etenim hoc praeceptum cessat, resoluto iure Superioris praecipientis : c. 24. Ita dicendum : si censura sit iam incursa, indiget absolutione. Si nondum est incursa, cessat sane cum praecepto, sive sit latae sive ferendae sententiae.

b. *Legitima* est etiam absolutio, quae detur a *confessario* privilegiato vel simplici, periculo mortis urgente vel in casibus canonice urgentioribus (de quibus n. 23, 25). Sed censura est *poena* et obligans quidem in conscientia sed lata a Superiore ; unde *legitima* absolutio attenditur potissimum in foro *non sacramentali* Quae data fuit in foro sacramentali, idest a confessario, pro foro externo non valet, e. g., ad impediendos seu dirimendos canonicos effectus censurae declaratae.

c. *Ex dictis* resolves : 1) Episcopus, etiam a sua dioecesi absens, potest subditos suos ubique locorum degentes et vagos e peregrinos in sua dioecesi actu commorantes a censuris (remoto strepitu iudiciali, si extra dioecesim) absolvere. 2) Praelatus regularis itidem pro suis subditis, quos eius potestas afficit et sequitu personaliter quocumque ierint. — Absolutis censuris reservatis peccata cessant esse reservata.

18. *An, firma censura, dari possit absolutio a peccatis, et quae forma absolutionis sit adhibenda.*

Can. 2250, § 1. Si agatur de censura, *quae non impedit* Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, *firma censura.*

§ 2. Si vero agatur de censura, *quae impedit* Sacramentorum receptionem, censuratus *nequit* absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit.

§ 3. *Absolutio censurae* in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum, in libris rituali-bus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad *excommunicationis* absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam.

Unde: 1. Absolutio a censuris distinguitur a peccatorum absolutione, sicut censura distinguitur a peccato, et potest una separari ab altera. *Olim,* ut ait D'Annibale § 347, nisi prius censuris absolutis, peccata, regulariter, absolvi prohibebantur; *nunc* sola distinctio inter censuram prohibentem Sacramenta et censuram non prohibentem attendenda est. Et si censura reservata Sacramentorum receptionem non impedit, absolutio a peccatis, firma censura, non solum valida est, sed etiam licita.

2. Clericus irretitus *suspensione* et *Paulus* versans sub interdicto *locali*, si rite poenitentes accedant, possunt etiam a simplici confessario absolvi de peccatis suis, remanente *suspensione* in clerico et *non obstante* seu vigente interdicto locali; quia hae sunt censurae, quae non impediunt Sacramentorum *receptionem*; receptionem, inquam, non *administrationem*; quae utique impediri potest *aliquando* sive a suspensione sive ab interdicto.

3. Clericus *excommunicatione* vel interdicto *personali* detentus, etsi rite dispositus sit, non potest *licite* absolvi de peccatis a simplici confessario vel a confessario privilegiato, nisi prius absolvatur ab excommunicatione vel ab interdicto personali; quia huiusmodi sunt censurae, quae impediunt *licitam* receptionem Sacramentorum. Sed *valida* profecto esset absolutio quae daretur a sciente prius de peccatis, postea de censuris, quae non fuerint reservatae.

4. Discrimen inter absolutionem in foro externo et absolutionem in foro sacramentali multiplex est: *a*) et quod attinet ad *valorem*; prima enim valet etiam pro foro sacramentali, altera vero

solum pro foro interno sacramentali; *b*) et quod spectat ad *absolventem;* prima enim nonnisi a Superiore habente iurisdictionem fori externi dari potest, altera a confessario, in actu confessionis; *c*) et quod spectat ad *formam.* Etenim absolutio *in foro externo* dari potest quolibet modo de qualibet censura agatur; unde etiam una voce, uno signo; quamvis, ubi agatur de *excommunicatione* conveniat (ac proinde generatim haec regula citra incommodum servanda sit) ut forma probata adhibeatur; sed absolutio *in foro sacramentali* ea semper adhibetur, quae in consueta forma absolutionis peccatorum continetur; ad liceitatem profecto; quia posset confessarius valide absolvere a censuris et a peccatis per verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis* etc.

5. In foro sacramentali, idest in confessione, forma ritualis eadem semper atque immutata adhibeatur in omni casu censurarum. Cf. n. 180. — Si tempus urgeat, sufficit forma brevis: « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Rit. t. III, c. 2, n. 5.

6. In foro non sacramentali, idest sive externo sive interno non sacramentali, formae absolutionis ab interdicto, a suspensione, ab excommunicatione fere aequales sunt in Rit. Rom. tit. l. c. et in Pontif. Rom. P. III; cf. n. 180; sed praescriptum canonis, ut adhibeatur regulariter forma tradita in libris ritualibus, respicit solum *excommunicationem.*

7. Si quis agat ex potestate delegata, noverit potestatem collatam *pro interno* exerceri posse etiam in foro extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur: c. 202, § 2: « et si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa *pro utroque* foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet »: c. 202, § 3.

8. Verbis canonis inspectis, forma ritualis ne sub levi quidem videretur servanda in foro non confessionali, quia verba non sunt praeceptiva; sed in foro sacramentali forma ritualis servanda est saltem sub levi: *Cappello,* n. 30.

Adn. *Pro praxi:* 1.° *Simplex confessarius* poenitentem detentum excommunicatione *nemini reservata,* rite dispositum et a contumacia recedentem ad normam iuris (cf. n. 3), absolvat forma absolutionis censurarum et peccatorum consueta, imposita prius poenitentia convenienti et salutari. — 2.° *Simplex confessarius* poenitentem oneratum peccatis et excommunicatione a iure reservata, aut excommunicatione *ab homine* (quae est reservata natura sua) aut interdicto *personali ab homine* (quod item natura sua est reservatum), nequit *a peccatis* absolvere, quia obstat censura.

quae prius remittenda est a facultatem habente. — 3.° *Eidem confessario* si quis poenitens accedat dicens : « Pater, hoc delictum commisi ; a contracta excommunicatione reservata me iam absolvit Superior in foro externo ; nunc venio pro absolutione delictorum meorum » ; confessarius illum rite dispositum potest absolvere ; quia, sublata censura, delictum cessat esse reservatum.

19. *An absolutio dari possit ab una censura, non absolutis aliis.*

Can. 2249, § 1. Si quis *pluribus* censuris detineatur, potest *ab una* absolvi, *ceteris* minime absolutis.

Adn. a. Ratio est, quia, ut diximus, censurae sunt poenae privativae bonorum, aliquando diversorum, non vero peccata.

b. Norma canonis est pro absolutione a censuris *in foro non sacramentali* ; eoque dicitur *Superior competens* posse, sciens ac volens, quempiam pluribus censuris detentum absolvere ab una et non ab altera ; puta ab ea, quae est reservata, non ab altera, quae non est reservata ; vel a censura excommunicationis, non a censura suspensionis. — *Confessarius* autem in foro suo sacramentali hac norma canonis uti nequit cum poenitente, qui peccatis et censuris sit gravatus, quoties vel ab una istarum nequit absolvere, et haec impedit receptionem sacramentorum, uti est excommunicatio : c. 2256 § 2 Et ratio est, quia exstante censura una reservata, etiam delictum reservatum manet et ideo in casu absolutio dari nequit.

c. Ex iure ius consequitur, scilicet : ut « petens absolutionem debeat casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso » : c. 2249, § 2. Sed casus excipiuntur, etenim : « si absolutio, quamvis *particularis* petitio facta sit, fuerit *generalis,* valet quoque pro *reticitis bona fide,* excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem *pro reticitis mala fide* » : c. 2249, § 2. Qua re si Titius superior competens formam absolutionis *generalem* adhibet, erga petentem, e. g. dicit : te absolvo *ab omni* vel a *qualibet* censura, vel ab *omni vinculo censurarum* vel *ab omnibus censuris* etc., re vera absolvit non solum a censura vel censuris illis, de quibus absolutio petita est, sed etiam ab aliis censuris, quae adsint, licet earum *casus* non fuerit expositus seu earum absolutio non fuerit petita, dummodo id contingat ex bona fide aut errore aut inadvertentia seu oblivione et aliunde non agatur de *reservatis specialissimo modo Sedi Apostolicae,* quae excipiuntur in omni casu.

4. **Confessarius** quid valeat in suo foro sacramentali, dicitur canone 2247, § 3; cf. n. 26.

20. *Quando et qua conditione danda sit absolutio a censuris.*

Can. 2248, § 2. Absolutio denegari nequit *cum primum delinquens* a contumacia recesserit ad normam c. 2242, § 3. *Et ex norma huius canonis:* contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi *poenituerit* et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio *promiserit.*

Unde: 1. Absolutio dari debet statim ac delinquens a contumacia desierit; censura enim est medium ad contumaciam infringendam, medicina ad salutem.

2. Non, nisi desinente contumacia, absolutio danda est, ob rationem eamdem; quia si censura contra exortam contumaciam data est, contra perdurantem contumaciam est sustinenda.

3. Ius huiusmodi est tam de absolutione in foro externo quam de absolutione in foro sacramentali. - *Iamvero: a) in foro externo* reus non emendatus, contumacia permanente, *valide* quidem absolveretur a potestate ordinaria; at non *valide* a delegata: *S. Alphonsus* l. 7 n. 131; ut huiusmodi reus valide et licite absolvi possit *etiam a potestate delegata,* causa sufficiens esse poterit bonum publicum aut spes facilioris emendationis ipsius delinquentis: *S. Alphonsus* l. c. - Immo *S. Thomas* (Suppl. q. 24 a. 2) et *S. Alphonsus* (l. 7. n. 417) dicunt, excommunicatum seu censuratum posse valide absolvi etiam *invitum*, licet communiter non liceat, ne censura contemnatur; licere autem, si videretur expedire saluti ipsius rei; *b) in foro sacramentali a confessario etiam privilegiato* censuratus invitus atque ex permanente contumacia indispositus nequit a censuris et a peccatis absolvi, ut patet.

4. Videre est ex hoc canone etiam quid importet illud frequenter in rescriptis usurpatum: *iniunctis de iure iniungendis;* significat nempe: *a)* ut poenitens congruam satisfactionem pro damnis illatis parti laesae det aut saltem serio promittat, si interea illam dare nequit et absolutione indiget; *b)* item ut det aut saltem serio promittat congruam satisfactionem pro dato scandalo; *c)* ut salutaris poenitentia imponatur pro delicti gravitate, quam poenitentiam verus poenitens acceptare debet. Cf S. Poenit. 10 dec. 1860.

Ius sane cessat, si quis scandalum satisfactione removerit, vel si pars laesa iniuriam condonaverit.

Confessarius profecto nequit poenitentem absolvere priusquam obligationi suae huiusmodi satis fecerit aut satis facere saltem promiserit serio. — Quid vero, si absolutio detur *in foro non sacramentali, satisfactione debita nec data nec promissa ?* Absolutio huiusmodi *illicita* quidem est *sed valida,* non solum si data est ex potestate ordinaria, sed etiam si data est ex potestate *delegata*; nisi satisfactio ex voluntate explicita delegantis exigenda sit tamquam *conditio sine qua non*; quod tamen ab usu Ecclesiae est alienum. Cf. *Suarez,* de matr. l. 3. d. 33, n. 3; *Ball.-Palm.* VII, n. 179; *Pirhing*, n. 166; *Ferreres*, II n. 1203; *Cappello,* pag. 30, nota 2.

Adn. « *A censura absolvens* potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere »: c. 2248, § 2. — Et merito. Sic et reus qui excusetur a censuris latae sententiae incurrendis ad normam can. 2229, § 3, potest, si res ferat « congrua alia poena affici » : sic et Superior, licet delictum sit tantum probabile, potest, ad scandalum vitandum, prohibere clerico exercitium sacri ministerii aut eundem removere ab officio ad normam iuris: c. 2222, § 2. — Dicitur tamen *potest, si res ferat,* non *debet*, quia Ecclesia intendit salutem animarum; quam ob rem salus animarum erit regula optima iuris.

21. *An censura absoluta, aliquando reviviscat.*

Can. 2248, § 3. Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu, quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit.

Unde: 1. Quisquis a censuris absolverit *potestate ordinaria* (n. 22), poterit reo onus sub poena reincidentiae ad arbitrium imponere, prout illi convenientius visum fuerit. Et sic ipsa absolutio data est *sub conditione,* nempe sub conditione *ad reincidentiam ab homine*: D'Annib. § 336.

2. Poenitens, qui a censura Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservata vel a censura *ab homine* fuerit absolutus a simplici confessario *in mortis periculo,* oneri recursus faciendi sub poena reincidentiae, si convaluerit, *subest de iure*: c. 2252.

3. Simplex confessarius, qui a censuris reservatis absolverit *in casibus urgentioribus*, poenitenti *imponere debet* sub poena reincidentiae *onus in iure determinatum*, scilicet recursus faciendi ad normam c. 2254. Et in hoc casu, aeque ac in praecedenti,

cum haec absolvendi ratio non pendeat a confessario sed *ab ipso iure*, poenitens, qui culpabiliter suae obligationi recurrendi non satisfecerit, *in easdem censuras* reincidit independenter a voluntate absolventis; satis est ut poenitens absolutus suam recurrendi sub poena reincidentiae obligationem noverit: Cf. Decret. S. Inq. 23 iun. 1886.

Adn. « **Absolutio** a censuris dari potest ut valere incipiat postquam reus aliquid praestiterit, v. g., restituerit (conditio *suspensiva*); vel ut statim valeat, sed, nisi intra certum tempus aliquid praestiterit, e. g, nisi restituerit (conditio *resolutiva*), ipso iure reincidat in eandem censuram. Haec posterior absolutio dicitur *ad reincidentiam* » : D'Annib. § 336, not. 17. — « Reincidentia est *a iure,* si adiicitur imperio legis; *ab homine,* si ab eo qui absolvit; non intelligitur, nisi explicite dicatur; ab eo solo adiici potest, qui potest ferre censuras. Et quia, verius, nova (licet eiusdem speciei) censura est, sine nova culpa et contumacia non incurritur » : *Sole* p. 163 cum *D'Annibale.*

22. *Quinam valeant a censuris absolvere extra sacramentum Poenitentiae.*

R. 1.° « A censura *non reservata* quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum » : c. 2253, 1.° — Parochus tali iurisdictione non gaudet : c. 451. Cf. n. 6.

2.° « A censura *ab homine* ille, cui censura reservata est ad normam c. 2245, § 2 » ; vi cuius facultas absolvendi inest illi « qui censuram inflixit aut sententiam tulit eiusque Superiori competenti vel successori vel delegato » ; idque « etiam si reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit » : c. 2253, 2.°

3.° « A censura *a iure reservata* ille, qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. — Quare a censura reservata *Episcopo* seu *Ordinario* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos ; a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive, qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive *generalem*, si censura *simpliciter* reservata sit, sive *specialem*, si reservata *speciali modo*, sive denique *specialissimam*, si reservata *specialissimo modo* » : c. 2253, 3.°

4.° **Ordinariis** praeterea est de iure facultas absolvendi per se vel per alios a censuris Apostolicae Sedi reservatis *simplici modo*, quando earum casus est occultus : c. 2237, § 2.

5.° **Cardinalibus** hoc est privilegium : « *audiendi* ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus *et absolvendi* ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, *exceptis* tantum censuris Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii » : c. 239, § 1, 2.° — Et hanc facultatem absolutionis obtinent ipso iure sacerdotes, quos sibi suisque familiaribus elegerint confessionibus excipiendis : c. 239, § 1, 1.°

Adn. a. *Nomine* Ordinarii quinam veniant, vid. n. 6.

b. *Si casus* censurae Ap. Sedi reservatae simpliciter est publicus, Ordinarii absolvere de iure non valent. Et cf. decr. S. C. Conc. 25 apr. 1918.

c. *Confessarius*, qui invenerit poenitentem innodatum excommunicatione in iure reservata, *Ordinario* seu *Episcopo*, pro facultate absolvendi obtinenda recurrat ad Episcopum, vel ad Vicarium Generalem, aut Capitularem. Immo ad eos etiam recurrere potest, si agatur de reservatis simplici modo Apostolicae Sedi et casus sit *occultus*. Si casus est *publicus*, Ordinarii *de iure* nequeunt a *reservatis* Ap. Sedi absolvere ; plura tamen possunt ex delegatione et ex Pagella S. Poenitentiariae, quae solet concedi.

d. *Episcopi* etiam solum *titulares* gaudent facultate sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione caret, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos : c. 239, § 1, 2.° ; 349, § 1, 1.°

23. *In periculo mortis a quibus censuris absolvere possit sacerdos et simplex confessarius.*

Can. 882. In periculo mortis *omnes sacerdotes*, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt *quoslibet* poenitentes *a quibusve* peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos adprobatus, salvo praescripto can. 884, 2252.

Unde : 1. In mortis periculo non solum quilibet confes-

sarius, licet simplex, sed etiam quilibet sacerdos, licet nondum ad confessionem approbatus, immo licet excommunicatus vitandus aut suspensus declaratus fuerit, de iure, *pro ea vice*, tantum iurisdictionis et approbationis accipiunt, quantum oportet, ut eum plene absolvere possint sive a censuris sive a peccatis, qui in periculo mortis sit constitutus. Idque tenendum, licet alii etiam adsint confessarii privilegiati : c. 2261, § 3.

2. Peccata in censuris *de iure communi* reservantur propter censuras ; tamen datur peccatum *unum*, quod reservatur ratione sui. Et « unicum peccatum, ratione sui reservatum, est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos » : c. 894.

3. Nullus recursus ad Superiorem in casu est faciendus, *quasi necessarius* pro petenda facultate absolvendi, licet talis recursus in casu et possibilis et facilis esset ; quia, exstante mortis periculo, facultas iam nobis inest, concessa a iure ; non enim ius datum est sub conditione de recursu faciendo, si hic facilis est.

Adn, a. *Periculum mortis* significat « illud discrimen, in quo cum quis constitutus est, ipsum et superesse et occumbere posse : utrumque est vere graviterque probabile ; sive periculum immineat *ab intrinseco*, ut puta ex morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta ; sive *ab extrinseco* immineat, velut ex bello, navigatione periculosa etc. Hoc amplius : si quis versetur in periculo incidendi in perpetuam amentiam, perinde habetur ac versaretur in periculo mortis ». *D'Annib.* I, n. 38.

b. *Confessarius*, dicitur *sacerdos* qui valeat confessiones accipere ex legitime accepta iurisdictione sive ordinaria sive delegata : c. 872-873 ; quae quidem iurisdictio licite ab Ordinariis seu Superioribus Religiosis conceditur iis tantum, qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote, cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant : c. 877, § 1. — Et *confessarius* dicitur *simplex*, si careat facultate absolvendi a reservatis ; dicitur *privilegiatus*, si talem facultatem in casu habeat ex privilegio aut delegatione.

c. *Praescriptum* can. 884 est de absolutione complicis : « Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo : et etiam in mortis periculo, *extra casum necessitatis*, est ex parte confessarii *illicita* ».

d. *Praescriptum* can. 2252 videatur infra n. 24.

24. *Quid de eo, qui in periculo mortis fuerit a censuris absolutus per sacerdotem vel simplicem confessarium.*

Can. 2252. Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum, qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ab Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure, eorumque mandatis parendi.

Unde: 1. In absoluto remanet, quasi ut prius, obligatio recursus faciendi sub poena reincidentiae et parendi mandatis Superioris. Sed non, ut prius, est absolventi explicita obligatio tale onus sub tali poena poenitenti iniungendi.

2. Recursus urget sub poena reincidentiae: *a*) quando actum fuerit de censuris *ab homine; b*) quando actum fuerit de censuris *specialissimo modo* Apostolicae Sedi reservatis. Non urget, ut olim, pro ceteris censuris *simplici aut speciali modo* Sedi Apostolicae reservatis; nec pro reservatis, quaevis sint, Ordinario.

3. Faciendus est intra mensem a die, qua absolutus convaluerit et obligationem recurrendi *sub poena reincidentiae* cognoverit; non urget infirmitate perdurante.

4. Recurrendum est: *a*) si agatur de censura *ab homine*, ad eum qui censuram tulit, ita ut si hic mortuus fuerit, vel adiri nec per epistolam possit, ipse recursus dicendus sit cessare; ratio est, quia in iure nobis recursus dicitur faciendus *ad eum,* qui censuram tulit; *b*) si agatur de reservatis *a iure*, ad Sacram Poenitentiariam vel ad Episcopum, *qui tamen praeditus sit delegata facultate a tali censura absolvendi;* vel ad *alium Superiorem,* qui huiusmodi potestate delegata polleat. — Fieri non potest « ad quemlibet sacerdotem habitualiter *subdelegatum* ab Ordinario ad absolvendum ab his reservatis »: S. U. I. 19 dec. 1900. — Recurrendum esset *personaliter*, sed conceditur, ut fiat per epistolam et per confessarium quemlibet, nomine poenitentis reticito. Acceptis mandatis parendum est sane sub gravi; non tamen sub poena reincidentiae in censuras; reincidentia enim adnectitur imputabili omissioni recursus faciendi.

5. Aliquando ipsa obligatio recurrendi suspenditur; si nempe recursus per epistolam et per confessarium fieri nequeat sine gravi incommodo, ut dicitur c. 2254, § 1. — Quam ob rem censuerim ipsam obligationem cessare omnino, si recursus, omissus nunc iusta de causa, puta gravi incommodo, non nisi post longum tempus fieri posset, cessante causa excusante. Profecto lex, quae

nunc tenet absolutum in periculo mortis, mitior est quam quae eundem hucusque tenuit.

Adn. a. *Non una*, sed plures videntur esse causae, quibus confessarius hodie, non ut prius, tenetur ipse ante absolutionem poenitenti, in periculo mortis constituto, imponere onus recurrendi sub poena reincidentiae. *Prima causa est*, maxima reverentia atque indulgentia piae Matris Ecclesiae erga infirmos. *Secunda*, timor Ecclesiae, ne imponenda obligatio constituatur causa, meliusoccasio afferens detrimentum periclitantium bono, sive temporali sive spirituali. *Tertia* haec esse videtur: ne confessarius, suae obligationis memor plus aequo, obligationem recurrendi forte imponat etiam cum esset prudenter omittenda ad bonum animae vel cum inutiliter imponeretur eo quod mors certe secutura est.

b. *Sublata tali obligatione* confessarius, practice, quomodo se gerat cum poenitente, qui suae obligationi obnoxius erit ? — Confessarius meminerit notam theologorum doctrinam *de monitione poenitenti facienda vel omittenda.* — Si infirmus non sit in extremis, et praevideatur victurus, monitio autem sit poenitenti certe profutura (certe, inquam, non dubie), confessarius illum moneat, meliore, quo potuerit, modo. Si vero infirmus sit in extremis aut confessarius prudenter debeat timere, monitionem fore obfuturam, omittat.

c. *Non dicitur* hoc canone posse absolutum, omisso recursu, alium etiam adire confessarium privilegiatum eique repetere confessionem delicti cum censura ab eoque accipere mandata simul cum absolutione et sic deobligari a recursu faciendo vel etiam a servandis mandatis aliis ex parte Superioris supervenientibus, recursu iam misso; quod quidem ius conceditur poenitentibus absolutis in casibus urgentioribus, ut videre est infra ; *attamen concedendum videtur ;* et ratio est, quia agitur de favore qui, concessus iis, qui strictiore lege tenentur, non negandus est ei, qui lege mitiore regitur.

25. *In casibus canonicis urgentioribus simplex confessarius a quibus censuris absolvere valeat, et quomodo poenitens teneatur ad recursum.*

Can. 2254, § 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium, ut Superior competens provideat, tunc quilibet

confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.

§ 2. Nihil impedit, quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, ita ut non teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.

§ 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit *moraliter impossibilis,* tunc ipsemet confessarius, excepto casu, quo agatur de absolutione censurae, de qua in can. 2367, potest absolutionem concedere sine onere, de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et *imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut* poenitens, *nisi* intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, *recidat* in censuram.

Unde: 1. Dantur casus, extra mortis periculum, in quibus quilibet confessarius valet *propria potestate*, a iure derivata, *quemlibet* poenitentem a contumacia recedentem per veram poenitentiam commissi delicti et congruam satisfactionem, datam vel serio promissam, absolvere *ab omni et qualibet censura,* etiam Apostolicae Sedi specialissimo modo reservata, *nulla excepta.*

2. Casus huiusmodi urgentiores duo canonice recensentur. **Primus est,** si poena censurae, prohibentis aut irritantis aliquid, quod esset hic et nunc faciendum, servari non posset *sine periculo* gravis scandali vel infamiae; ut, e. g., si censuratus eo quod non celebraret Missam, aut non susciperet S. Communionem, aut non contraheret matrimonium, aut non poneret quemdam actum iurisdictionis etc., stantibus rerum adiunctis, exponeretur periculo infamiae sui ipsius, vel probabile scandalum seu murmur aliorum sequeretur. — **Secundus est,** si durum esset poenitenti *in statu gravis peccati* remanere per tempus necessarium,

ut Superior competens provideat. — Et circa hoc tria sunt notanda; *a*) Non requiritur (sicut prius, iuxta decr. S. Off. 16 iun. 1897), ut poenitenti sit *valde* durum; satis est ut sit durum; *b*) Illud *durum* accipiendum est non obiective sed *subiective*, i. e. durum (*cosa dura*) esse debet *poenitenti*, qui ex dilata absolutione tristatur, angitur, nec habet requiem, nec sibi pacem concedit, inspecto statu sui, qui est peccati, a quo statu exoptat se eripere per absolutionem; *c*) Tempus non taxative determinatur, sed ita potius ut etiam spatium tridui, bidui, immo et unius diei, in adiunctis particularibus, et dispositionibus poenitentis inspectis, sufficiat ad facultatem absolvendi suppeditandam, quoties poenitens *etiam per id temporis*, ad recurrendum necessarii et sufficientis, in casu *durum habeat* remanere in statu peccati. Iudicare autem de contingentia casus urgentioris, officium erit ipsius confessarii. — *Opinamur* autem hanc disciplinam extendi posse etiam ad casus seu censuras ab Ordinariis reservatas.

3. Munus confessarii potissimum est, ut priusquam poenitentem absolverit, illi *explicite iniungat* onus recursus faciendi ad normam iuris *sub poena reincidentiae*, onusque parendi mandatis superventuris ex parte Superioris. Et confessarius poenitentem, qui hoc onus iniuste reiecerit, simulque recusaverit alium adire confessarium facultate praeditum ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, absolutionem consequi, *non absolvat*, quia non valet, et idcirco nec poterit ipse dare illi mandata, quasi loco Superioris, ut dicitur § 3.

4. Obligatio recursus faciendi, etsi data iam et accepta, *non absolute* tenet; est enim poenitenti facultas alium adeundi confessarium, ut dicitur § 2.

5. Aliquando potest *ipse confessarius* dare poenitenti mandata quasi loco Superioris, sub poena reincidentiae: quando nempe casus contingit extraordinarius, qui dicitur § 3. Et recursus dicitur *moraliter impossibilis*, si nec Confessarius nec poenitens scribere possint, atque poenitenti durum sit recurrere ad alium confessarium: S. Off. 9 nov. 1898; item si poenitens scribere nesciat et confessarius non sit poenitentem amplius visurus pro rescripto tradendo: S. Off. 6 sept. 1900. — Sed propter inflictam censuram *ob absolutionem datam complici* extra casum necessitatis, licet in periculo mortis (c. 2367), recursus est semper faciendus; quia casus extraordinarius ille nunquam contingere potest; etenim poenitens, irretitus censura propter datam absolutionem, ipse saltem noverit scribere ad S. Poenitentiariam. — Verum si hic sacerdos (finge casum) nequeat adire S. Poenitentiariam per confessarium, qui discessurus, e. g., sit, nec valeat ipse directe mittere epistolam, quia morbo, e. g., prohibetur quominus scribat,

ratio non est cur excludatur a generali indulto : Card. *Lega*, n. 146.

Adn. a. *Discrimen* inter periculum mortis et casus urgentiores duplex est: 1) *in casibus urgentioribus,* ipse confessarius tenetur, antequam absolvat, declarare poenitenti atque iniungere obligationem propriam ; non ita in periculo mortis, ut vidimus ; 2) *in periculo mortis* obligatio recurrendi erit solum pro censuris *ab homine* vel pro censuris a iure Apostolicae Sedi reservatis specialissimo modo ; *in casibus urgentioribus* obligatio est pro reservatis omnibus etiam pro reservatis Episcopo seu Ordinario.

b. *Veterum* theologorum disciplina (cf. S. Alph. l. VII, n. 84 ; Suarez, De poen. d. 30) de impedimento perpetuo, diuturno et brevi, mutata plane est non solum quod spectat ad casus papales, uti patet, sed etiam, ut censemus ex analogia iuris, quoad episcopales.

c. *In iure antiquo* quidem (cf. Lega, III, n. 130) dixerunt reincidentiam esse *ab homine*. Sed verbis canonis inspectis et collato canone 2252, nonnisi *a iure* dicenda est reincidentia huiusmodi; et res certior fit si natura rei etiam inspiciatur: reincidentia enim *ab homine* ad normam iuris ipsi *confessario* esset reservata; quod nemo dixerit.

d. *Hoc canone*, paucis mutatis, confirmatur disciplina quae prius vigebat ex decretis S. Inq. 23 iun. 1886, S. Off. 16 iun. 1896, 19 aug. 1891, 19 dec. 1900, 9 nov. 1898, 7 iun. 1899, 5 sept. 1900.

26. *Extra periculum mortis et casus urgentiores simplex confessarius a quibus censuris absolvere valeat de iure communi.*

R. 1.° *Ratione iurisdictionis* absolvere tantum potest a censuris nemini reservatis : c. 2253, 1.°

2.° *Ratione absolutionis prolatae et iurisdictionis in casu particulari suppeditatae ab Ecclesia iure speciali*, aliquando absolvit etiam a reservatis omnibus tam papalibus quam episcopalibus, iis tantum exceptis, quae sunt *ab homine* vel Sedi Apostolicae reservatis *modo specialissimo*.

Qui casus contingere potest dupliciter. *Primo modo*. Si confessarius a censura et a peccato absolvit *ignorans*, censuram dari, aut esse reservatam. *Altero modo*. Si poenitens peccatum, cui adnexa est censura reservata, accuset

et censuram *mala fide* non reticeat, confessarius autem illum absolvat *integra forma* absolutionis peccatorum, qua, ut notum est, et censurae et peccata absolvuntur : c. 2247, § 3 ; c. 2249, § 2 ; et cf. n. 29. Sed casus huiusmodi non contingeret, si poenitens aliqua de causa non absolveretur *directe* a peccato, cui adnexa est censura ; e. g., quia ex oblivione omissum fuit ; etenim ius est de absolutione *a censura et a peccato ;* profecto illud, cui censura adnectitur et quod, omissum, non absolvitur, proprie loquendo, licet *indirecte* remittatur in disposito. Ratio diversi iuris est evidens ; *ignorantiae et bonae fidei,* lege confessionis satisfacta, indulgetur ; sed non indulgetur *malae fidei,* nec satisfactio legis confessionis praetermittitur.

27. *Ordinarii quid super censuris valeant de iure communi.*

R. 1.° **Ordinarii** de iure communi, ut dictum est n. 22, absolvere possunt a censuris *a iure* reservatis Episcopo seu Ordinario, et quidem, ubique locorum quos subditos habent: laicos ratione domicilii aut quasi-domicilii : c. 1561 ; clericos ratione incardinationis : c. 111, § 2 ; religiosos (si Ordinarius est Superior Maior in religione clericali exempta) ratione professionis ; peregrinos vero quoslibet vagosque intra fines proprii territorii : c. 2253, 3.

2.° **Item** subditos suos absolvere valent a censuris *ab homine* inflictis a praedecessoribus vel ab inferioribus : c. 2253, 3.°

3.° **Absolvere possunt** a censuris a iure Apostolicae Sedi *simpliciter* reservatis, quae sint *occultae*, non vero quae *publicae seu notoriae* fuerint : c. 2237, § 3.

Haec est Ordinariorum potestas ad censuras quod attinet ; quae tamen cum ordinaria sit, *subdelegari* potest. Attamen decreto S. C. Consist. « Proxima sacra Pentecostes die » 25 ap. 1918, facultates speciales quae Ordinariis concessae fuerunt in forma *Brevi* a S. Poenitentiaria, ipsis remanent.

28. *Delegatus quid super censuris valeat.*

1.° **Delegatus ad actum** non nisi id potest, ad quod iurisdictionem accepit; et sic accepta iurisdictio stricte interpretanda est: c. 200; quamvis ea quoque intelligantur simul concessa, sine quibus accepta iurisdictio exerceri non posset: c. 220.

2.° **Ex delegatis habitualiter** a S. Sede: *a*) qui delegatus est *cum generali potestate* absolvendi, potest absolvere ab Apostolicae Sedi reservatis *simplici modo*; *b*) qui *cum potestate speciali*, a reservatis *speciali modo*; *c*) qui *cum potestate specialissima*, a reservatis *specialissimo modo*: c. 2253, 3.°

3.° **Ad subdelegationem** quod attinet, delegati poterunt suam quisque potestatem subdelegare: *a*) *in singulis casibus*, si eam acceperint ab eo, qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem; *b*) etiam *habitualiter*, si eam acceperint a Romano Pontifice, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita: c. 199, § 2, 3. — Confessarius poterit mandata pro poenitente accipere a Superiore, facultate *habituali delegata* praedito, sed non poterit eadem mandata accipere ab eo, qui praeditus sit facultate *subdelegata* etsi habitualiter: S. U. I., 19 dec. 1900 ad 3. Cf. n. 25.

29. *Quinam sint effectus absolutionis sive a confessario, sive ab Ordinario, sive a delegato datae particulariter vel generaliter.*

R. 1.° **Absolutio quaelibet,** idest sive particulariter sive generaliter impertita et a quacumque legitima potestate sive ordinaria sive delegata: *a*) *data in foro externo*, utrumque forum afficit: c. 2251; – *data in foro interno*, sive sacramentali sive non sacramentali, valet in foro interno; insuper « absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi,

quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit » : c. 2251. — Quam ob rem si quis excommunicatus, etsi notorius, sacramenta publice acceperit in periculo mortis, quamvis absolutus fuerit per confessarium, habendus erit ut a censura absolutus etiam in foro externo, quia data absolutio iam satis probari aut saltem legitime praesumi potest ex receptis sacramentis : – *c*) *data in foro sacramentali,* si fuerit concessa a confessario simplici reservationem censurae ignorante et absolvente simul a peccato, valet, dummodo ne sit censura *ab homine* aut censura *specialissimo modo* Apostolicae Sedi reservata c. 2247, § 3. Cf. n. 16, 26.

2.° In foro externo vel interno non sacramentali : *a*) *data particulariter* non nisi pro casu exposito valet ; qua re petens absolutionem, debet casus omnes indicare ; *b*) *data generaliter,* quamvis particularis petitio facta sit, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide »: c. 2249, § 2.

Iamvero si quis dixerit petenti absolutionem : te absolvo ab omni excommunicatione vel ab omnibus excommunicationibus vel ab omni tua excommunicatione, habebitur *generalis* absolutio ab *excommunicationibus*. Et sic dices de suspensionibus et interdictis. — Si vero quis ita petenten absolverit: te absolvo ab omni censura, vel ab omnibus censuris, vel a tuis censuris, absolutio generalis erit simul de excommunicationibus, suspensionibus et interdictis. Cf n. 19.

30. *In iure quaenam censeantur causae a contrahendi censuris latae sententiae excusantes.*

R. 1.° **Causae.** quae subditum a contrahenda censura latae sententiae excusant, illae profecto sunt, quae *ab imputabilitate delicti* excusant. — « *Imputabilitas delicti* pende ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignoranti legis violatae aut in omissione debitae diligentiae ; qua r

omnes causae, quae.... minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso... minuunt, tollunt delicti imputabilitatem »: c. 2199. — « *Dolus* heic est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur, ex parte intellectus, defectus cognitionis, et, ex parte voluntatis, defectus libertatis. — Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur »: c. 2200.

2.° **In iure** autem causae huiusmodi recensentur: *ignorantia*, c. 2202, §§ 1, 2; *inadvertentia* et *error*, c. 2202, § 3; *omissio debitae diligentiae*, c. 2203, § 1; *casus fortuitus*, c. 2203, § 2; *minor aetas*, c. 2204; *vis physica*, c. 2205, § 1; *metus gravis, necessitas, grave incommodum* c. 2205, §§ 2, 3; *causa legitimae tutelae*, c. 2205, § 4; *provocatio*, c. 2205, 4; *passio*, c. 2206; *ebrietas aut similis mentis perturbatio*, c. 2201, § 3; *debilitas mentis*, c. 2201 § 4; *retractatio mandati vel influxus*, c. 2209, § 5.

Adn. a. Qui actu carent usu rationis, sunt incapaces delicti: c. 2201, § 1; ideoque *carentia*, etsi actualis, usus rationis inter causas a censuris seu a poenis excusantes non recensetur.

b. « **Habitualiter amentes,** licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur »: c. 2201, § 2. — Quam ob rem etiam confessarius huiusmodi amentes praesumere debet incapaces delicti et nonnisi quos *certe* delinquentes cognoverit, audeat de delicto et poena damnare.

31. *Omnes et singulae causae quandonam seu quibus in casibus valeant a contrahenda censura excusare.*

R. 1.° **Omnes** et **singulae** causae supra dictae, si in casu ab *omni* vel etiam solum a *gravi* delicti imputabilitate subditum excusaverint, eundem pariter excusant a qualibet censura seu poena tum latae, tum ferendae sententiae non solum in foro conscientiae sed etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur: c. 2218, § 2. Et excusantes *ab omni* imputabilitate delicti, ac proinde *a qualibet* poena et censura, sunt causae huiusmodi: 1. *In-*

culpabilis ignorantia legis servandae: c. 2202, § 1; itemque *inculpabilis* error aut inadvertentia: c. 2202, § 2. — 2. *Casus fortuitus,* qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit: c. 2203, § 2. — 3. *Vis physica,* quae omnem adimit agendi facultatem: c. 2205, § 1; (quae aliquando compossibilis est cum interno consensu voluntatis superveniente, ex parte illius, qui vim patitur, et proinde cum interno peccato eiusdem). — 4. *Passio,* quae omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat: c. 2206. — 5. *Retractatio* mandati seu influxus in delictum opportuna et plena ita, ut si delictum nihilominus committatur, non nisi ex malitia exsecutoris patretur: c. 2209, § 5.

2.° **De Ignorantia** haec speciatim teneto:

a) ignorantia affectata (quam quis affectu seu studio tenet, refugiendo a veritate inquirenda) sive legis sit sive solius poenae, a nullis poenis et idcirco a nullis censuris quempiam excusat: c. 2229. § 1. Et ideo sententia quae affirmabat ignoratiam *affectatam* excusare aliquando a censura, quaeque olim vere probabilis et practice tuta visa est nonnullis (D' Annib. I. 312; Lega n. 32; Noldin n. 24), hodie suam probabilitatem amittit ex explicito iure; et merito, quia ipsa ignorantia est directe voluntaria;

b) ignorantia crassa seu *supina* (qua quis dicitur laborare ex omnimoda seu totali negligentia in adhibendis mediis ad veritatem cognoscendam), sive legis fuerit sive solius censurae vel poenae vindicativae, a censura vel a poena excusat, quando lex, cui censura vel poena adnexa est, habet verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliave similia, quae plenam deliberationem ac cognitionem exigunt: c. 2229, § 2;

c) ignorantia vincibilis (quae vinci seu depelli poterat et debebat; et est in subiecto, qui sciens et volens non omnem gradum diligentiae, in casu adhibendae ac proinde debitae, ad inquirendam veritatem tulit) sive legis fuerit sive solius censurae, a censura *latae sententiae* (non autem a poena vindicativa) excusat, etiam si lex, cui censura ad-

nexa est, verba illa non habeat, quae superius relata sunt, neque similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt: c. 2229, § 3, 1.° — Licet ignorantia huiusmodi non excuset in casu a gravi imputabilitate peccati, tamen potest etiam aliquando excusare, et aliunde violatio legis censurae est voluntaria indirecte, excludit dolum, non culpam; ideo tale obtinet ius.

d) ignorantia invincibilis (sive *physice*, quia subiectum caret medio physico ad cognitionem necessario, sive *moraliter*, quia in subiecto permanet etiam postquam subiectum omnem gradum adhibuerit diligentiae in casu debitae, ad iudicium viri gravis et timoratae conscientiae) cum non sit voluntaria seu imputabilis, sive fuerit legis sive solius poenae, ab omni censura (itemque ab omni poena) semper excusat: c. 2218, § 2;

e) quod dictum est de ignorantia (quae est in eo, qui debita scientia caret habitualiter), dicendum pariter est de *inadvertentia* (quae est in eo, qui scientia habituali gaudet, sed non eadem regitur,) deque *errore* (qui est in eo, qui quidem gaudet scientia habituali vera, regitur tamen hic et nunc scientia falsa).

3.° **Quando lex**, cui censura adnexa est, *habet verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit*, aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, praeter ignorantiam vincibilem vel crassam seu supinam, inadvertentiam et errorem, a censura contrahenda excusant *omnes causae imputabilitatem delicti minuentes*, quamvis in casu non adeo minuant ut a gravi imputabilitate culpae delinquentem excusent: c. 2229, § 2. — Quam ob rem excusant: *a) omissio debitae diligentiae*, etsi culpa sit proxima dolo, eo quod delinquens rem praeviderit et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset: c. 2203, § 1; *b) casus fortuitus*, semper: c. 2203, § 2; *c) minor aetas*, nisi certe aliud constet: c. 2204; *d) vis physica*, etsi aliquatenus adimat facultatem agendi adeo ut a gravitate peccati non excuset: c. 2205 § 1; *e) metus gravis*, sive

absolute sive relative, itemque *necessitas*, immo et *grave incommodum*, etiam si actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum: c. 2205, §§ 2, 3; immo et *levis* metus et *leve* incommodum aut necessitas a censura excusat, quando actus non est intrinsece malus, nec vertit in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis aut in animarum damnum; *f) causa legitimae* tutelae contra iniustum aggressorem, quamvis non servatum fuerit debitum moderamen inculpatae tutelae: c. 2205, § 4; *g)* item *provocatio*: c. 2205, § 4; *h) passio quaelibet*, quae tamen non fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita: c. 2206: *i) ebrietas*, nisi tamen ebrietas ipsa apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita fuerit; et *item dicatur* de aliis mentis perturbationibus: c. 2201, § 3; *l) debilitas mentis*, semper: c. 2201, § 4; *m) retractatio*, quae mandatum seu influxum in delictum non abduxerit plene, ita ut delictum vel ex insufficientia retractationis, ex parte retractantis, vel ex casu fortuito, vel ex malitia alicuius tertii, non vero exsecutoris, fuerit pariter patratum.

Confessarius prae oculis habeat praesertim causam *debilitatis mentis*, si agatur de mulieribus, causam *ignorantiae, ebrietatis* aut *similis perturbationis mentalis* (quae esse potest potissimum ex morphio) vel etiam causam *passionis antecedentis*, si agatur de viris; tandem, pro omnibus, causam *aetatis minoris*, quae est infra annum 21 expletum: c. 88 «nisi certe aliud constet», idest nisi *certe* constet *imputabilitatem delicti*, non obstante minore aetate, *esse plenam* ex plena cognitione et deliberatione delinquentis, delinquens minor debet *praesumi et haberi* ut excusatus a censura.

4.° **Quando lex**, cui censura adnexa est, verba illa supra dicta: *praesumpserit*, *ausus fuerit* etc., non habet, *regula generalis est*, ut, praeter ignorantiam crassam et vincibilem, ut dictum est, a contrahenda censura quaelibet causa excuset, quando eadem a gravi imputabilitate, idest a gravi peccato excusat: c. 2218, § 2; nisi, ut dictum

est, actus sit intrinsece malus aut sit in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis aut in animarum damnum.

Adn. a. Ignorantia vincibilis, ut dictum est, non excusat ab incurrenda poena *vindicativa* latae sententiae: c. 2229, § 3, 1°, nisi lex *praesumptionem* exigat.

b. Gravitas culpae in ignorantia *vincibili* desumitur ex defectu diligentiae, quam quis adhibere debuisset ad legem cognoscendam; et hac ratione ignorantia *vincibilis* alia est *leviter* culpabilis et alia *graviter*, prout *levis* aut *gravis*, est defectus diligentiae. Ignorantia, quae est ex defectu *gravissimo* seu *totali* diligentiae debitae et adhibendae, dicitur *supina* seu *crassa*; et haec est semper graviter imputabilis, scilicet in lege gravi. Quod attinet ad ignorantiam *vincibilem*, ante Codicem disputabant Theologi, an haec esset *graviter imputabilis*, quin esset simul *crassa* seu *supina*; sed ex aperta dispositione huius can. § 3, 1°, quaestio plane dirimitur.

32. *Censurae quotuplicis sint speciei.*

R. 1.° **Censurae** sunt: 1. Excommunicatio; 2. Interdictum; 3. Suspensio: c. 2255, § 1.

2.° **Diversimode** tamen; etenim *excommunicatio* est ex tota natura sua, ideoque est semper censura; *suspensio* vero et *interdictum* non ita; et idcirco non semper sunt censurae, sed aliquando etiam poenae vindicativae. In dubio autem praesumuntur censurae: c. 2255, § 2.

33. *Censurae hodie vigentes, Codice iuris canonici promulgato, quaenam habendae sint.*

R. **Illae solae censurae** sunt hodie habendae ut vigentes, quae in Codice iuris canonici continentur; legitur enim can. 6, 5°: « quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tamquam abrogatae habeantur ».

Adn. *Ad historiam* censurarum quod attinet, imprimis occurrit *Bulla Coenae*, qua censurae S. Sedi reservatae singulis annis (ab a. 1362 ad a. 1774) legebantur Romae in Caena Domini. Tantum documentum magnam sane rerum publicarum subiit

invidiam, temporum vicissitudines atque ingentem commentariorum sarcinam; quam ob rem Pius IX, Concilio Vaticano inito, elenchum censurarum vigentium confecit et celebrata Constitutione *Apostolicae Sedis* publicavit die 12 oct. 1869. In Novo Codice censurae etiam latae sententiae, recognitae et non raro instauratae, leguntur non per vices distributae, sed singulis delictis in libro de poenis constitutae.

34. *Censurae hodie vigentes quo iure sint aestimandae seu interpretandae.*

R. **Aestimandae** seu interpretandae sunt iure antiquo *quatenus* cum veteri iure congruunt; *quatenus* vero discrepant, ex regulis communibus interpretationis; et *in dubio* ius antiquum praeferatur. Legimus enim: « canones, qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi. — In dubio num aliquod canonum praescriptum a veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum »: c. 6, 3°, 4.°

Adn. Non igitur, Novo Codice promulgato, solidiora studia nostrorum maiorum sunt omittenda; sed, omni reverentia servata, eorum nulli sententiae adhaerendum, si novae atque diversae sententiae faveat incunctanter ipsum novum ius.

SECUNDA PARS

DE CENSURIS IN SPECIE

CAPUT I.

De excommunicationibus ipso facto vigentibus.

ART. I. - *De excommunicatione in genere.*

35. *Excommunicatio quid sit, et quando praesertim anathema dicatur.*

CAN. 2257, § 1. Excommunicatio est censura, qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus, qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt. — § 2. Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur, quae in Pontificali Romano describuntur.

Unde: 1. Excommunicatio, eo quod consistit *in exclusione fidelium a communione fidelium*, ad certa determinata bona spiritualia quod attinet, « afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur *singulos* afficere, *qui in delictum concurrerint* » : c. 2255, § 2 ; ideoque etiam « excommunicatio est semper censura » : c. 2255, § 2, idest poena medicinalis *ex tota* sua natura.

2. Effectus excommunicationis sunt *illi omnes et soli*, qui in iure decernuntur, *indivisibiles*, ita ut possit quidem Superior delinquentem excommunicatione aliquando non plectere, sed nequeat liberare excommunicatum ab uno vel altero excommunicationis effectibus de iure statutis.

3. Canonici effectus excommunicationis sane gravissimi sunt : ideoque ita statuitur : « censurae, praecipue excommunicatio ne infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione » : c. 2241, § 2.

4. Anathema novam poenam excommunicationi non addit, sed solum extrinsecam sollemnitatem auget ; nec tanto rigore, ut non pauci scriptores opinati sunt, est intelligenda, quasi quis absolute et sine ulla spe reconciliationis sit ab Ecclesia exinde separatus. Cf. Suarez d. VIII, sect. 2, n. 7 ; Benedictus XIV, Syn. dioec. l. X, c. 1 ; Devoti, n. 6. — Vox *Maranatha*, quae in legibus ecclesiasticis occurrit, est vox syro-caldaica constans ex *maran* (Dominus noster) et *atha* (venit). Est excommunicatio principalis hebraica, equivalens locutioni Paulinae : *satanae tradere*.

Adn. Canonici effectus excommunicationis, etsi contractam excommunicationem sequantur necessario et independenter omnino a voluntate Superioris, tamen non iidem semper sunt, nec in singulis casibus aequales ; sed alii dantur effectus, quibus *quilibet* excommunicatus subiectus manet, quique proinde dici possunt *communes ;* et alii, quibus subiectus manet excommunicatus *notorius* vel *post datam* sententiam, quique idcirco dici possunt *proprii* excommunicati notorii ; et alii sunt, quibus solum excommunicatus *vitandus* subiicitur, quique ideo dici possunt *proprii* huiusmodi excommunicati.

36. *Excommunicati quomodo dividantur.*

Can. 2258, § 1. Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*. — § 2. Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1. — *Hoc est :* « qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit, *sit*, praeter alia, ipso facto vitandus ».

Unde : 1. Vitandi dicuntur, quos fideles tenentur *vitare*, ad normam iuris, quod videbitur ; *tolerati*, quos fideles vitare non tenentur ex tolerantia Ecclesiae.

2. Ut quis sit vitandus quatuor concurrere debent: – 1) ut excommunicatio inflicta fuerit a *Sede Apostolica*, idest a Romano Pontifice vel a competente S. Tribunali Curiae Romanae: c. 7; quare nullus Ordinarius, Romano Pontifice inferior, potest quempiam vitandum reddere; – 2) ut excommunicatio sit *nominatim* inflicta, ita ut *persona* affecta certe et ab omnibus distinguatur, sive ex enunciato nomine et cognomento personae, sive ex alio modo dicendi; ut si dicatur: qui est hodie Praefectus urbis N. N.; – 3) ut excommunicatio fuerit *publice denuntiata* modo legitimo: c. 9; quare non satis esset notitia, quae, etsi publica, daretur de publicanda tali excommunicatione; – 4) ut tandem in ipso decreto vel sententia publice denuntiata excommunicatus explicite dicatur *vitandus*. — Igitur hac in re magnum discrimen est inter ius novum huiusmodi et antiquum, ut videre est apud Suarez d. VIII, Pirrhing, n. 113, Lehmkuhl, n. 1128, Wernz, n. 181.

Adn. Tolerati dicuntur omnes, qui non sunt vitandi. Sed ex toleratis alii sunt *occulti*, alii vero *notorii*; et ex notoriis, alii sunt tales notorietate *facti*, alii vero *iuris* (n. 2); et notorius notorietate iuris quis constituitur post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

37. *Quinam sint effectus excommunicationis* Communes, *quibus nempe quilibet excommunicatus subiicitur.*

R. Quilibet excommunicatus:

1.° **Ad divina officia** quod attinet, caret *iure adsistendi* eis, remanente tamen iure adsistendi praedicationi verbi Dei: c. 2259, § 1.

« Si passive adsistat *toleratus*, non est necesse ut expellatur; si *vitandus*, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, *dummodo* id fieri possit sine gravi incommodo »: c. 2259, § 2. — Vid. infra, adn. **a**.

Toleratus autem ideo non est expellendus ab adsistentia passiva, quia, etsi nullum sit illi *ius* adsistendi, tamen fideles non prohibentur illum vitare; conceditur, ut possint illum tolerare; idque potissimum ad proprium incommodum vitandum.

Vitandus expellendus est a fidelibus, potissimum vero a sacris ministris, quia ipsi prohibentur communicare cum

eo in divinis : prohibentur tamen lege mere ecclesiastica et ideo non cum gravi incommodo, quod ex servata lege se queretur illis, tum fidelibus, tum ministris.

A praedicatione verbi Dei audienda nullus excommunicatus arceatur, primo quidem, quia praedicatio non est officium divinum, quod possint praestare soli clerici ex potestate ordinis ; secundo vero, quia praedicatio multum inservire potest poenitentiae delinquentis, quam Ecclesiae intendit lata excommunicatione, secundum illud Pauli : « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». *Rom.* X. 17.

Itaque vitandus, ingressus in ecclesiam ubi Missa celebratur, monendus est ut discedat, dein compellendus, et si id fieri nequeat sine gravi incommodo secuturo, Missa ante inceptum canonem vel post susceptam communionem abrumpatur, sed perficiatur a facta consecratione ad communionem usque ; a canone autem solum incepto Missa perfici potest usque ad communionem, si celebrans censuerit, dummodo fideles recedant. *Noldin*, n. 40.

2.° **Ad receptionem Sacramentorum** quod spectat, non potest Sacramenta recipere : c. 2260, § 1 ; 855 § 1. Unde nullus excommunicatus potest *sciens* suscipere *licite* aliquod Sacramentum priusquam a censura absolvatur ; prohibetur enim censura, quae susceptionem impedit sub gravi culpa, non tamen *irritat*. *Non irritat* hac de causa, dicit *Noldin* n. 30, quia « Ecclesia excommunicatum nequit reddere inhabilem ad Sacramenta valide suscipienda ; sed tamen Ecclesia potest aliquando impedimenta decernere irritantia ipsum actum et ideirco ipsum Sacramentum, ut fit in Matrimonio et Ordine Sacro.

Dictum est *sciens*, quia si bona fides adsistat, Sacramenta etiam licite suscipiuntur, praeterquam valide.

Iamvero duo sunt hic revocanda explicite :

Primum est posse excommunicatum bonae fidei valide et licite absolvi a censura reservata et a peccato, etiam a simplici confessario ignorante reservationem, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi apostolicae reservata : c. 2247, § 3 ; et cf. n. 26.

Secundum est, excommunicatum posse valide et licite a qualibet excommunicatione absolvi non solum urgente mortis periculo, sed etiam exstante casu urgentiore, qui ei constituatur vel ex urgente morali necessitate sacramentum aliquod vivorum suscipiendi, vel etiam ex eo quod poenitenti durum sit remanere in statu peccati per unum vel alterum diem: c. 2254, 882; et cf. n. 23, 25.

Quare excommunicatus, *practice,* non nisi ex malitia sua privabitur usu Sacramentorum; et finis proprius censurae, scilicet medicinae salutaris, etiam ex hac parte evidens est.

3.° **Ad confectionem et administrationem Sacramentorum et Sacramentalium** quod pertinet, prohibetur licite (et quidem, per se, sub gravi) Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus, quae sequuntur: c. 2261, § 1.

Exceptiones autem decernuntur in favorem christifidelium, quorum bonum Pia Mater Ecclesia ex malitia et poena excommunicati ministri nec laesum nec in periculum adductum patitur. — *Sunt huiusmodi: a)* « Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare sine obligatione causam a requirente percontandi ». *b)* « Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam c. 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia »: c. 2261, § 2, 3.

Unde, firma lege, qua quilibet excommunicatus sub gravi prohibetur sponte et sine causa excusante conficere vel administrare Sacramenta et Sacramentalia: – 1.° Fideles ab excommunicato *tolerato et non notorio* possunt Sacramentum, puta Confessionem vel Communionem, aut Sacramentale aliquod, puta benedictionem domus petere: et explicita huiusmodi petitio causa constituitur, qua excom-

municatus toleratus non notorius possit *licite* (sane praeterquam valide) Sacramentum vel Sacramentale conficere. *Immo etiam implicita* fidelium petitio ab illiceitate excusaret; et sic parochus vel cappellanus, etsi excommunicatione occulta impediti sint, *licite* sistent die dominica in templo parati ad fidelium confessiones, uti solent diebus dominicis, excipiendas, ad Missam pro populo celebrandam ceteraque Sacramentalia administranda. Licite, inquam, ratione *censurae*; etenim ratione *delicti*, quod non deterserint Sacramento Poenitentiae vel saltem, si copia defuerit confessarii, actu contritionis, illicite profecto agerent. – 2.° *Ab excommunicato vitando vel notorio notorietate iuris* ex data sententia (alioquin notorius, idest notorius ex notorietate facti, non comprehenditur) fideles non nisi in mortis periculo licite petent Sacramentum Poenitentiae, etiamsi alii adsint sacerdotes aut confessarii, et, non nisi hisce deficientibus, cetera Sacramenta et Sacramentalia. Et si extra mortis periculum peterent, non solum illicite agerent fideles, sed et *invalide* Sacramenta, non excluso illo Poenitentiae, susciperent (n. 38, 39).

Et convenit omnino tum reverentiae debitae sententiis Ecclesiae reprobantis, tum bono ipsius delinquentis, qui praesumitur non adeo expeditum actum contritionis habiturus, quo valeat aliunde licite ipse administrare seu conficere sacramentum; ceteroquin periculum infamiae illius non est praecavendum, cum sit excommunicatus vitandus vel notorius notorietate iuris. Et ideo etiam fortasse non comprehenditur notorius notorietate facti, ne iudicio privatorum relinquatur, qui fortasse benignius iudicandus est, et sic a nobis nec incertum proximi ius in periculum adducatur.

4.° **Iure eligendi, praesentandi, nominandi** prohibetur; et nequit consequi *dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus* in Ecclesia: c. 2265, § 1, 1°, 2.°

Agitur hic de lege prohibente seu impediente, non autem de lege irritante. — *Notorius* ex data sententia et, a fortiori, *vitandus invalide* etiam *actus huiusmodi* prohibito:

ponerent, ut colligetur infra ex hoc ipso canone; sed excommunicatus non videtur fieri inhabilis ad beneficia obtinenda *hac de causa*, « quia (ut nonnulli scribunt), excommunicatus non potest fidelibus sua officia praestare, et ideo nec potest habere beneficium, quod propter officium conceditur »; causa verior nobis quaerenda est in voluntate Ecclesiae, quia « Romano Pontifici est ius beneficia in universa Ecclesia conferendi »: c. 1431, et R. Pontifex hac lege beneficium excommunicato concedere recusat, usque dum eum poenituerit.

Toleratus autem dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas etc. valide recipit ex consequenti vi canonis 36, § 2: « Gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. 2265, § 2; 2275, n. 3; 2283 ». Praescriptum autem afficit excommunicatum vitandum, suspensum post datam sententiam, interdictum personaliter.

5.° « **Ad Ordines** promoveri nequit »: c. 2265, § 1, n. 3. Profecto ad nullum ordinem, sive ex maioribus sive ex minoribus, immo nec ad tonsuram. Legitur enim canone 950: « In iure verba: *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio*, comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur ». Ex contextu autem aut ex natura rei prima tonsura non excluditur. — Sed agitur hic de lege prohibente, quae tenet ordinandum et ordinantem; non vero de lege irritante ipsius ordinis validitatem.

6.° « **Indulgentiarum, suffragiorum, publicarum precum** Ecclesiae excommunicatus non fit particeps »: c. 2262, § 1. « *Non prohibentur* tamen: 1.° Fideles privatim pro eo orare; 2.° Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum »: c. 2262, § 2.

Et circa hoc plura *relinquenda* vel *mutanda* sunt, quae ad rem hucusque nos docuerunt theologi. Nota singula.

a) *Excommunicatus non fit particeps*: ergo partem nul-

lam habebit ex disponente voluntate Ecclesiae et independenter a qualibet aliena voluntate humana; unde et ipse pro se et alii pro eo frustra contendent ea assequi, quorum decernitur non fieri particeps. Et particeps non fit, sive vivus, sive defunctus, nisi prius fuerit ab excommunicatione absolutus. Negat enim Ecclesia ea, quae sunt suae potestatis.

b) Non fit particeps *Indulgentiarum* quomodocumque concessarum. Unde, e. g., inutiliter sacerdos applicaret indulgentiam altaris illi, qui est defunctus et nondum ab excommunicatione, etsi occulta, absolutus; et particeps indulgentiae ex parte Ecclesiae ille non erit, quamvis in Purgatorio degat, iustificatus ex actu contritionis perfectae seu caritatis in extremis elicito. — Id etiam Parochi doceant christifideles, ut in mortis periculo sollicitiores advocent confessarium.

c) Non fit particeps *suffragiorum*, quae fiunt a sacris ministris, sive solis, sive in unione christifidelium, precibus et ritibus liturgicis super defunctum, vel quae ab iisdem sacris ministris fiunt pro omnibus defunctis.

d) Non fit particeps *publicarum Ecclesiae precum*. Preces Ecclesiae publicae dicuntur, quae sive intra sive extra templum, cum populo vel sine eo, peraguntur liturgice a sacris ministris et nomine Ecclesiae; sunt igitur sacrae functiones et supplicationes, sive ordinariae sive extraordinariae, quae fiunt cum sacro ministro, ut sunt canonicae recitationes divini officii, Litaniarum etc.

Missa est sacrificium; ideoque non est reducenda ad *indulgentias*, nec ad *suffragia* nec ad *publicas preces* Ecclesiae. — Sed excommunicatus defunctus non fit particeps exsequiarum, officiorum, absolutionum, quae sunt propria defunctorum; nec rex seu imperator excommunicatus, etsi non vitandus, Orationis, quae pro eo cantetur sive in hebdomada sancta sive in eius die natalitio aut in aliqua sacra functione.

e) Implicite sacerdotes prohibiti manent sacras supplicationes agere et Orationem decantare pro eo, qui est ex-

communicatus toleratus, sed non prohibentur *explicite*; unde si nullum sit pertimescendum incommodum, omittantur; si quod incommodum praevideatur, fieri possunt, licet inutiles excommunicato cedant ex parte Ecclesiae.

f) Bono essentiali Missarum, in universa Ecclesia celebratarum, excommunicati, ratione solius censurae, non privantur; nec possunt privari, cum bonum essentiale sacrificii non pendeat ab Ecclesia; sane pendent ab ea Missarum sollemnia. Ecclesia autem concedit, ut sacerdotes possint pro excommunicatis applicare fructum illum, qui est applicabilis ad voluntatem suorum ministrorum. — Duo interea praescribuntur: 1.° Ut Missa non sit sollemnis, nec cantata, sed lecta seu privata; et, si notorie id fiat, removeatur scandalum. Sic tam pro vivis, ad eorum intentionem, quam pro defunctis. 2.° Ut Missa, quae sit dicenda pro excommunicato vivo vitando, non nisi pro eiusdem conversione offeratur aut accipiatur dicenda. Et sic Ecclesia tum excommunicato vitando tum petentibus pro eo insinuat, quid potissimum sit ei necessarium et quid in votis sui ipsius: c. 2262, § 2, 2.° — *Sollemnia* Missarum igitur prohibentur explicite, sed lex ecclesiastica est; quare ubi sollemnia etiam exigantur, Parochus consulet Ordinarium, si potuerit; et si non possit, ipse mature et prudenter casum perpendat, atque meminerit, legem ecclesiasticam, secluso religionis vel Ecclesiae contemptu atque scandalo gravi remoto, in casu gravis incommodi, ob eam servatam ab extrinseco secuturi, non obligare.

g) Precum Fidelium simulque eorum bonorum operum excommunicati fieri possunt participes, sive *publicae* fuerint preces sive *privatae*, quousque non sumant naturam precum Ecclesiae ex praesentia activa sacri ministri, qui egerit ut sacer minister. *Explicite* permittitur, ut fideles *privatim* orent pro excommunicato quolibet determinato, vel pro excommunicatis in genere; ideoque *implicite* non permitteretur, ut orent *publice*. Iamvero privatim censendi sunt orare non solum qui seorsim et occulte orant, sed etiam qui plures simul orant in loco privato. E contrario,

publice orare censendi sunt, qui publico modo in eccles publica oraverint, simul coniuncti, licet sine sacro ministr

6.° « **Ab actibus legitimis ecclesiasticis** rem vetur intra fines suis in locis iure definitos »: c. 2263.

Agitur hic de lege prohibente seu impediente, n vero de lege actus positos irritante.

7.° « **Agere in causis ecclesiasticis** nequit, ni ad normam can. 1654 »: c. 2263.

Et canon 1654 dicit: « Excommunicatis *vitandis* a *toleratis* post sententiam declaratoriam vel condemnatoria *permittitur*, ut *per se* ipsi agant *tantummodo* ad imp gnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunic tionis; *per procuratorem*, ad aliud quodvis *animae su* praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repe luntur. — *Alii* excommunicati generatim *stare* iudic queunt ». — Cave, ne confundas *stare* cum *agere*.

8.° « **Ecclesiasticis officiis** seu muneribus **conce sisque** antea ab Ecclesia **privilegiis** frui prohibetur c. 2263.

9.° « **Actus iurisdictionis** tam fori externi qua fori interni positus ab excommunicato est illicitus »: c. 226 profecto nisi causa adsit, quae valeat ab illiceitate exc sare ad normam iuris, supra relati, *per exceptiones*.

10.° **Agere patrinum** etiam prohibetur, sive baptismo: c. 766, n. 2. sive in confirmatione: c. 79 n. 3.

Adn. a. « Nomine *divinorum officiorum* intelliguntur f ctiones potestatis ordinis, quae de institutione Christi vel Ecc siae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt c. 2256, § 1. Cuiusmodi sunt, e. g., Missae celebratio, Horar cantus, processiones, publicae preces, benedictiones candelaru palmarum, cinerum etc., expositio SS. Sacramenti.

b. « *Beneficium ecclesiasticum* est onus iuridicum a com tente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erecti constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote offi adnexos » : c. 1409.

c. *Dignitas* generatim est beneficium cum aliqua iurisdictio honore et administratione. Dividitur in *maiorem* et *minore*

maior beneficium maius sive Praelaturam denotat; *minor* in Capitulis designat praebendam, cui iurisdictio aliqua cum praeminentia et quadam administratione competit: cf. c. 393, § 1; Wernz II, n. 240. Sed et singulorum capitulorum constitutiones sunt attendendae.

d. *Officium ecclesiasticum* lato sensu est quodlibet munus, quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis. In iure officium ecclesiasticum accipitur *stricto sensu,* nisi aliud ex contextu sermonis appareat » : c. 145.

e. *Pensio ecclesiastica* est portio aliqua fructuum beneficii legitime clerico concessa. *Santi,* III, p. 176.

f. « *Nomine* actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur : munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum ; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis ; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis ; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis ; ius patronatus exercere : c. 2256, 2°.

g. *Excommunicatus* ab Horis recitandis non excusatur ; sed recitans cum aliis loco : *Dominus vobiscum* dicere debet : *Domine, exaudi* etc.

h. *Animadverte,* quot bonis privetur, quot prohibitionibus afficiatur etiam qui est toleratus et occultus et solum una irretitus excommunicatione nemini reservata ! *Sed perpende :* 1.° *Fideles* nulla prohibitione impediuntur accedere ad sacrum ministrum excommunicatum toleratum ante datam contra eum sententiam ; unde, ante datam huiusmodi sententiam, fideles libere et sine ullo timore petere possunt a sacerdote vel confessario Sacramenta et Sacramentalia, eumque habere tamquam non excommunicatum. — 2.° *Sacri ministri* excommunicati tolerati, etsi irretiti excommunicatione Ap. Sedi specialissimo modo reservata, *licite,* ratione *censurae,* conficere et administrare valent Sacramenta et Sacramentalia fidelibus petentibus etiam solum implicite. — 3.° *Quilibet excommunicatus,* sive simplex fidelis sive sacer minister, quoties vel munus unum ex prohibitis agere deberet, vel bonum unum ex vetitis consequi desiderat, eo ipso constituitur in *casu urgentiore,* in quo, *desinente contumacia,* potest absolvi a quolibet confessario ad normam iuris. Cf. n. 25.

Quibus perpensis, conclusio prima, quae evidenter sequitur, est huiusmodi : privationes et prohibitiones excommunicatum afficientes

habeantur veluti totidem auxilia ac voces, quibus Pia Mater Ecclesia delinquentem et contumacem ad poenitentiam et ad salutem adducere contendit.

38. *Quinam sint effectus proprii, quibus subiiciuntur excommunicati* notorii *notorietate facti et notorietate iuris ex data sententia declaratoria vel condemnatoria.*

R. 1.° **Notorius** notorietate *facti*, praeter quam omnibus effectibus communibus prius enumeratis, obnoxius est huic etiam effectui : repellendus est ab adsistentia activa divinis officiis, quae aliquam secum ferat participationem in iisdem celebrandis : c. 2259, § 2.

2.° **Notorius** notorietate *iuris* ex data sententia declaratoria aut condemnatoria, praeterquam omnibus effectibus communibus et supra dicto effectui proprio excommunicati notorii notorietate *facti*, obnoxius est etiam effectibus sequentibus :

1. *Nequit* recipere Sacramentalia : c. 2260, § 2 ; putamus autem non solum licite sed etiam *valide*, cum haec sint ab Ecclesia.

2. *Manet privatus* fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia » : c. 2266 ; — Et cum sit poena *latae sententiae*, tenetur in conscientia fructus huiusmodi restituere etiam ante sententiam iudicis.

3. *Invalide*, praeter quam illicite, fungeretur munere arbitri in causis ecclesiasticis : c. 1931.

4. *Invalide*, praeter quam illicite, eligit, praesentat, nominat, aut beneficia, dignitates, officia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia ipse consequitur : c. 2265, § 1, Cf. D'Annib. § 365.

5. *Invalide* recipit (atque etiam illicite peteret) gratiam pontificiam quamlibet, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat : c. 2265, § 2. — Incapacitas refertur ad gratias cuiuslibet generis (etiam dispensationis et privilegii) pontificias, quae nempe sunt im-

mediate a R. Pontifice vel ab aliqua S. Congregatione Curiae Romanae; non vero ad gratias concessas ab Ordinario loci aliove Praelato ecclesiastico.

6. *Invalide* (praeter quam illicite) patrinum ageret, sive in baptismo: c. 765, n. 2, sive in confirmatione: c. 795, n. 2.

7. *Invalide*, praeter quam illicite, absolutionem sacramentalem daret, aut alium actum iurisdictionis tum fori interni aut externi poneret erga fideles extra mortis periculum: c. 873, § 3; 2264; unde invalide absolveret, dispensaret. Invalide etiam adsisteret matrimonio: c. 1095, § 1, 1°. Putaverim tamen eum valide conficere sacramentalia, cum haec fiant potestate ordinis, non vero iurisdictionis.

8. *Incapax* est acquirendi ius patronatus: c. 1453, § 1.

9. *Repellitur* a testimonio ferendo ut suspectus: c. 1757, § 2, n. 1.

10. *Ecclesiastica sepultura* privatur, nisi ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa: c. 1240, § 1, n. 2. — Haec autem prohibitio importat ut denegetur quoque « tum Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria »: c. 1241. Unde vetita habenda est etiam missa in die tertia, septima et tricesima. Cf. n. 42. — *Poenitentiae signa* habentur: si moribundus confessarium petierit, si veniam peccatorum a Deo postulaverit aut simpliciter Deum vel B. M. Virginem aut Sanctos invocaverit; si res sacras seu benedictas vel Crucifixum deosculatus fuerit; etc. Et unus testis, fide dignus, qui haec referat, sufficit. *D'Annib.*, n. 115, *Berardi*, Th. Past. n. 515; *Génicot*, n. 628.

11. *Ex eius sepultura* (quae sit notoria et facta in ipsa ecclesia) ecclesia violata manet: c. 1172, § 1, n. 4; ad quam reconciliandam cadaver est removendum, si remotio sine gravi incommodo fieri possit: c. 1175.

12. *Tandem excommunicatio* latae sententiae nemini reservata est in eos, qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae excommunicatum huiusmodi, qui antea nulla dederit poenitentiae signa. — Et *interdictum*.

ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum contrahunt, qui sponte eidem sepulturam donant : c. 2339.

Adn. a. Fideles ab excommunicato notorio notorietate iuris ex data sententia, ut dicitur can. 2261, § 3, in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia.

b. *In errore communi* iurisdictionem pro foro tam interno quam externo supplet Ecclesia: c. 209.

c. Vid. quae dicta sunt n. 37, *adn.* h.

39. *Quinam sint effectus proprii, quibus subiiciuntur excommunicati* vitandi.

R. **Vitandus**, praeterquam effectibus, quibus obnoxios vidimus excommunicatos *notorios*, obnoxius etiam manet effectibus sequentibus :

1. *Ad divina officia* quod attinet, repellendus est non solum ab activa adsistentia, quae aliquam secum ferat participationem in illis celebrandis, sed etiam a passiva simpliciter adsistentia ; et expellendus est a loco, aut si expelli nequeat, ab officio divino est cessandum, si id fieri possit sine gravi incommodo : c. 2259, § 2. cf. p. 64, adn. *a*.

2. *Ad communionem in profanis* quod pertinet, fideles eam habere cum vitando prohibentur, « nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationalis causa excuset » : c. 2267. - Actiones, in quibus non licet fidelibus consortium habere, continentur versiculo : « *Os, orare, vale, communio, mensa.*

Os : colloquia, epistolae, signa benevolentiae.

Orare : quaelibet communicatio in divinis, licet privata.

Vale : salutationes peculiares obsequii vel amicitiae causa.

Communio : habitatione, negotio etc.

Mensa : mutua invitatio ad mensam.

3. *Invalide actum iurisdictionis* tam fori externi quam interni exercet vitandus, nisi agatur de mortis periculo, in quo licite et valide potest dare sacramentalem absolutionem ;

immo *valide* praestabit etiam cetera Sacramenta et Sacramentalia, sed *licite* solum, si alii desint ministri, qui valeant ea ministrare : c. 2264, 2261, § 2, 3. — *Fideles* enim a vitando nec Sacramenta nec Sacramentalia petere possunt extra mortis periculum, et in mortis periculo non nisi confessionem, si alii adsint ministri : c. 2261, § 2, 3.

4. *Ad sepulturam* quod spectat : « si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver vitandi, qui contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuerit, exhumandum est » : c. 1242, « de licentia Ordinarii » : c. 1214, « et in loco profano reponendum est » : c. 1242. — Etenim : « praeter coemeterium benedictum, alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur, quibus sepultura ecclesiastica non conceditur » : c. 1212. — Porro illegitime sepelientes vel sepelire mandantes incurrunt in censuram nemini reservatam : c. 2339.

Adn. a. « *Impendentes* quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit ; itemque *clerici* scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » : c. 2338, § 2 ; cf. n. 57.

b. « **Exorcismi** a legitimis ministris fieri possunt... etiam in acatholicos vel excommunicatos » : c. 1152.

c. Vid. quae dicta sunt n. 38, *adn.* b. et n. 37 *adn.* h.

ART. II. - ***Excommunicationes nemini reservatae.***

40. *Quot sint et quid de iis generatim tenendum.*

R. 1. **Sunt quinque,** et ab eis absolvere potest quilibet confessarius, forma absolutionis peccatorum consueta, desinente tamen contumacia et impositis prius poenitenti de iure imponendis, idest : *congrua poenitentia* pro censura, praeter poenitentiam pro peccatis, *remotione scandali,* quod forte adsit, *satisfactione,* quae sit alteri debita.

2. **Qui** communi consilio delinquendi simul physice

concurrerint in delictum: **et mandantes ; et qui** alium, etiam impuberem, ad delicti consummationem inducunt *tali influxu, sine quo* delictum commissum non fuisset, censuris singulis subiiciendi sunt, licet in lege censurae non nominentur expresse. Cf. n. 10.

41. *Quid de prima, quae est in eos, qui sacrarum Scripturarum libros edunt sine debita venia ?*

Can. 2318, § 2. Auctores et editores, qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

Declaratio. a. *Ius antiquum :* « qui imprimunt, imprimi faciunt » ; quod intelligi poterat de pluribus, immo etiam de cooperatoribus operariis ; et inde controversiae. *Ius novum :* « auctores et editores » ; et hinc controversiae dirimuntur. Cf. *D'Annib.*, n. 38, nota 26 ; *Bucceroni*, n. 30 ; *Bertapelle*, p. 320 ; *Pennacchi*, p. 254.

b. *Excommunicatione* nunc plectitur violatio canonis 1385 : « Nisi censura (*venia*) ecclesiastica praecesserit, ne edantur, etiam a laicis, libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria ». Cf. Const. *Officiorum et munerum*, et Conc. Trid. sess. IV. De edit. et usu SS. Librorum.

c. « *Auctores* », profecto adnotationum, commentariorum, versionum sacrarum Scripturarum ; « *editores* » Scripturarum vel earumdem versionum, adnotationum, commentariorum, si nomine proprio imprimant. — Unde operarii nullo modo comprehenduntur ; sed nec domini aut rectores officinae, nisi ipsi *editores* constituantur, sive soli sive cum aliis sociis, eo quod nomine proprio imprimant ; item nec qui libros impressos publici iuris fecerint.

d. « *Qui imprimi curant* » ; ergo causa censurae habetur *ex sola impressione*, independenter a librorum evulgatione. *Cappello* (p. 131) dicit ad censuram oportere ut opus *publici iuris fiat ;* sed non videtur, hoc ipso canone inspecto, et collato can. 2318, § 1, de quo n. 70. Profecto talis numerus exemplarium seu librorum impressorum requiritur, qui in notione *editionis*, etsi parvae, communiter subintelligatur ; impressionem paucorum librorum non censuerim sufficere, etiam quia lex intendit praecavere periculum publicum, quod esse potest ex librorum vitiatorum evulgatione, quamvis impressio sola puniatur.

e. « *Sine debita licentia* » ; haec autem concedi potest tum ab Ordinario proprio auctoris, tum ab Ordinario loci, in quo libri imprimuntur, tum etiam ab Ordinario loci, in quo libri publici iuris fiant, « ita tamen, ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eumdem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia » : c. 1385, § 2. — Id tamen nobis intelligendum videretur ad *liceitatem* petitionis ex parte auctoris vel editoris, non vero ad *validitatem* licentiae ex parte concedentis, quasi huiusmodi licentia data non sufficiat ad excommunicationem vitandam.

f. « *Libros sacrarum Scripturarum* » ; etsi integre et religiose imprimantur et sive agatur de textu originali, sive de versione in qualibet lingua.

g. « *Earum adnotationes* »; quae vel *uni* libro adiectae fuerint (non tamen *parti* unius editi libri), etsi ad sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia.

h. « *Earum commentarios* » ; qui, seorsim a libris sacrarum Scripturarum, de eis imprimantur ; sed ad censuram non quodlibet *folium* aut *scriptum* commentarium satis erit, sed tale commentarium necessarium videtur, quod ex communi aestimatione et usu loquendi *liber* vel saltem *libellus* dici possit. Proinde quae hodie *lithographice, photografice* vel alio modo edi solent pro usu discipulorum vel in alium limitatum usu, non intelliguntur edi seu vulgari prout liber expostulat : *Sole,* p. 344. Tamen publicationes periodicae, in fasciculos ligatae, essent legi obnoxiae : S. Off. 13 ian. 1892.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est ex sola impressione, sive prima sive sequentibus editionibus, quae sine venia fiat in qualibet lingua vel de uno sacrarum Scripturarum libro, aut de adnotationibus etiam uni libro adiectis, aut de uno libro vel libello commentario sacrarum Scripturarum, ad numerum exemplarium, qui notione saltem parvae editionis subaudiendus sit.

2. **Causa non integra** esset : *a)* si ageretur de aliis libris, qui non sint Novi vel Veteris Testamenti ; *b)* de impressione paucorum exemplarium, ut contingit quando libri certis personis privatim traduntur ad examen seu revisionem etc.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa : *a) Auctores*, sive laici sive clerici, qui proprias adnotatio-

nes aut commentum faciunt imprimere; *b*) *Editores*, qui sive soli sive sociati cum aliis, sacras Scripturas aut alienas adnotationes vel commentum imprimunt nomine proprio, atque ideo nomen *editorum* sibi acquirunt.

4. **Obnoxii non sunt**, quotquot nomine alieno describunt, agunt, imprimunt, etsi rectores et domini Officinae sint; immo nec auctores qui impressionem curant nomine alterius, qui opus imprimere facit auxilio auctoris non necessario quique idcirco *editor* censendus est.

Adn. Lex censurae *praesumptionem* non postulat, idcirco ignorantia crassa a censura non excusat.

42. *Quid de secunda, quae est in mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae indignos?*

Can. 2339. Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam.

Declaratio. **a.** *Ius antiquum:* « mandantes seu cogentes »; *ius novum:* « qui ausi sunt mandare seu cogere »; et sic censura coarctatur.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio canonis 1240 ex parte qua ecclesiastica sepultura privantur « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: 1. Notorie apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae addicti; 2. Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam »; quibus adduntur infideles, ad normam can. 1239, § 1. — Unde melius etiam definiuntur quos poena vetat ecclesiastice sepeliri.

c. « *Qui ausi sunt* »; ergo ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3°, excusant a censura; consequenter eximuntur a lege censurae *mandantes* seu *cogentes* nomine legis seu ex officio, et sic perimitur controversia, quae antea dabatur.

d. « *Mandare seu cognoscere* »; sponte et nomine proprio, non nomine aliorum, vel nomine legis. — Mandatur *non volenti, non agenti sponte:* cogitur *invitus, repugnans*; mandatum est *ex verbis praeceptivis*, et datur *dependentibus, inferioribus;* coactio est ex vi aut metu gravi, et fit *debilioribus* vel *causam haben-*

tibus. — Unde lex censurae plectit illos delinquentes qui sacrum ministrum, nolentem dare indigno sepulturam ecclesiasticam vi propria (et inde *cogere*) aut propria auctoritate (et inde *mandare*) vel etiam vi et auctoritate adduxerit ad sepulturam tribuendam. Iamvero si quis mandatum sepulturae dederit ministro qui *iam sponte paratus erat* ad sepulturam concedendam, non est *mandans* sensu legis, et censuram non contrahit ; item, si quis ministrum repugnantem adduxerit pecunia, precibus, promissionibus, non est *cogens*, et censuram effugiet. Sed in utroque casu *minister* alia censura plectetur ; dicitur enim eodem canone « sponte sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum (contrahunt) ».

e. *Ecclesiastica sepultura*, ad normam iuris, « consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in ea celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus condendis : c. 1204. — *Depositio* igitur cadaveris in loco legitime deputato fidelibus condendis etiam hodie requiritur, quando eadem fieri potest, ad censuram incurrendam, sed non, ut olim, haec sola satis erit. Profecto Ecclesia hac censura intendit consulere non solum ecclesiasticae auctoritati, sed etiam bono publico. Iamvero nullum scandalum esset fidelibus, qui noverint aut viderint sacerdotem coactum adsistere solae inhumationi cadaveris in coemeterio ; sed utique scandalum fere inevitabile esset ex publico et integro ritu ecclesiasticae sepulturae servato. *Pighi* (p. 45) et *Sole* (p. 279) censent ad excommunicationem contrahendam satis esse *solam depositionem* cadaveris in loco sacro, quia, ait Pighi, « quandoque usu etiam ecclesiastico ea (ecclesiastica nempe sepultura) accipitur sensu limitato pro tertio tantum elemento », scilicet depositionis in loco sacro ; vel quia, dicit Sole, canon ius vetus confirmat et ideo ad normam can. 6, 2° ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, est aestimandus. *Cavigioli* (p. 140) pro suo iudicio ad excommunicationem exigeret, *praeter* corporis introductionem in locum legitime deputatum fidelibus condendis, *preces rituales*. *Cappello* (p. 132) « *seclusa translatione* cadaveris ad ecclesiam, quovisque omisso religionis ritu » excommunicationem non infligit. Plerique alii ex iis, qui post Codicem scripserunt, quaestionem silentio praetereunt. Sit igitur hoc primum: quamdiu interpretatio adeo incerta fuerit, ne sit qui practice censura irretitum habeat poenitentem ex sola cadaveris depositione. Sed nec adducta argumenta viderentur solida. Etenim : *a*) Licet ex *sola cadaveris depositione* habeatur *aliqua ecclesiastica sepultura*, idest ecclesiastica sensu liturgico seu christiano, non tamen exinde habetur sepultura ecclesiastica *sensu canonico*. *b*) Licet ex triplici elemento *canonicae* sepulturae constitutivo, cadaveris *trans-*

latio ad ecclesiam sit minus substantiale, tamen et hoc requiritur ad *integram canonicae* sepulturae notionem saltem quando *translatio* ad ecclesiam fieri posset, unde etiam translatio, quando fieri posset, requiri videtur ad *consummationem* delicti, qua dempta, non datur censura ex can. 2242, § 1; 2219, § 1; 19. *c*) Si « leges quaelibet, praescriptis Codicis oppositae, abrogantur » (c. 6, 1°), a fortiori praescriptis Codicis oppositis dirimuntur Theologorum interpretationes. Legislator canone 1204 implicite declarat quae sepultura exinde sit *ecclesiastica;* unde *implicite* interpretatur ex hac parte canonem 2339, in quo quidem *vetus* ius habetur, quod attinet ad poenam, sed *novum* quod attinet ad delictum, cuius notio praefinitur. Unde canon 2339 non ad normam can. 6, 2° est diiudicandus, sed potius ad normam can. 6, 3°.

Legitime autem deputatur: *a*) *coemeterium* per benedictionem Episcopi territorii, quae delegari potest; *b*) *sepulcrum* per benedictionem ritualem, ut videtur, parochi seu sacerdotis funerantis: c. 1206, 1156. Sed *legitime* deputatus dici potest ad rem etiam locus Episcopi auctoritate in fideles sepeliendos designatus, licet nondum benedictus; item locus, in quo divina celebrari possint; item locus, in quo ex communi usu et consuetudine fidelium corpora sepeliri consueverint, *etiamsi,* ut docet *Suarez,* d. XII, sect. IV, de speciali Episcopi auctoritate non constet, quia ibi intervenit saltem tacita superioris approbatio.

f. « *Infideles* »; qui adulti fidem non susceperunt per baptismum; cuiusmodi sunt Hebraei, Mahumetani. — Sed « catechumeni, qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt » ex canone 1239, § 2.

g. « *Apostatas a fide christiana* »: dicitur *a fide,* quia dantur apostatae *a religione.* Est autem apostata a fide christiana, qui, post receptum baptismum, a fide christiana totaliter recedit, interne et externe, nomine christiano quoque reiecto: c. 1325, § 2. Et huiusmodi sunt *rationalistae, liberi pensatores, indifferentistae theoretici, veri modernistae circa religionem, negantes exsistentiam aut possibilitatem revelationis;* qui tamen baptismum susceperint, et sint *notorii:* c. 1240.

h. « *Haereticos et schismaticos* »: qui tamen tales sint ex eo quod alicui sectae haereticae aut schismaticae sunt addicti; atque id quoque *notorie* constare debet in loco: c. 1240.

Non igitur, ut olim, tenet censurae lex, si quis haereticus aut schismaticus exsistat, etsi *notorie,* ob *prolatas haereses* aut denegatam sui subiectionem Romano Pontifici.

i. « *Aliosve sive excommunicatos sive interdictos* »; profecto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam: c. 1240; unde pro istis notorietas iuris requiritur, et satis est, etsi in loco non-

dum adsit notorietas facti. — *Suspensi* non includuntur; suspensio enim datur solum clericis; unde scandalum maius sequeretur ex negata sepultura ecclesiastica.

1. *Prohibitio* sepulturae et *censura* cessant, si delinquens, puta excommunicatus, ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa: c. 1240. — Signa autem poenitentiae plura dantur et sermi possunt etiam ex testibus fide dignis.; cf. p. 67. *Item* nulla censura datur, si ecclesiastica sepultura vere data non fuerit.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex voluntaria et libera coactione ex propria auctoritate aut vi seu metu illata efficaciter, ut sepultura ad normam novi iuris ecclesiastica tribuatur hisce ob nullum datum poenitentiae signum indignis: *a) adulto* notorie non baptizato; *b) notorie addicto* sectae haereticae aut schismaticae; *c) notorie apostatae* a fide christiana per baptismum suscepta; *d) excommunicato* vel interdicto *notorio* notorietate etiam solius iuris ob datam sententiam.

2. **Causa non integra** est: *a*) si agatur de infantibus aut de catechumenis; *b)* vel de haereticis aut schismaticis notoriis quidem, sed nulli sectae nativitate aut electione addictis seu adscriptis; *c)* vel de apostata occulto; *d*) vel de sepultura non moraliter integra ad normam novi iuris; *e*) vel si tandem sepultura ecclesiastica data non fuerit aut non facta depositio cadaveris in loco fidelium, cum et haec fieri poterat.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: quicumque, sive privati, sive Superiores *nomine proprio* agentes, delictum patraverint, sive directe agendo, sive indirecte; idest, sive agendo in sacrum ministrum immediate, sive agendo in alios habentes causam cum eo, puta parentes, consanguineos, aut etiam agendo in eos, qui publica auctoritate aut nomine legis sepulturam faciendam imponere possint.

4. **Obnoxii** non sunt: *a)* qui nomine aliorum aut legis coegerint; *b)* sacri ministri, qui sponte prohibitam sepulturam dederint; quamvis hi, ut dictum est, contraherent eo ipso interdictum ab ingressu ecclesiae.

43. *Quid de tertia, quae est in alienantes bona ecclesiastica sine debita licentia?*

« Eos, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserint aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532, ... si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet ... excommunicatio latae sententiae nemini reservata » : c. 2347, 3.

Declaratio. **a.** *Ius antiquum :* « alienantes et recipere praesumentes absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis « *Ambitiosae* » ; et beneplacitum Ap. requirebatur pro re, quae valore summam 600 libellarum excesserit. *Ius novum :* « si beneplacitum Apostolicum in memoratis canonibus praescriptum, fuerit *scienter* praetermissum » ; et sic cessat, quae erat controversia. Beneplacitum vero requiritur solum, si valor rei sit supra 30.000 libellarum.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio canonis 534, § 1, ubi dicitur : « si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis, quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum..., contractus vi caret, nisi beneplacitum Apostolicum antecesserit » ; et canonis 1532, ubi dicitur : « legitimus Superior (sine *cuius licentia* alienatio *invalidatur*) est Apostolica Sedes si agatur : 1. De rebus pretiosis ; 2. De rebus, quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum ».

c. « *Qui bona ecclesiastica* ». Quid veniat nomine bonorum ecclesiasticorum, sumatur ex iure. « Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt *bona ecclesiastica* » : c. 1497, § 1. — Et « dicuntur *sacra*, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt ; *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa » : c. 1497, § 2. — *Corporalia* dicuntur quae sensibus attingi possunt, ut praedia, pecunia ; *incorporalia*, quae solo intellectu percipiuntur, ut sunt iura, obligationes, actiones : *Wernz* III, n. 134. *Mobilia*, quae de loco in locum vi sua aut aliena moveri possunt ; *immobilia* sunt, quae, salva eorum substantia, de loco in loco nequeunt moveri, sive *naturaliter*, ut ager, sive civiliter quatenus ius civile nonnulla, quae essent mobilia, ad utilitatem alicuius rei, natura immobilis, considerat adnexa, ut boves et aratra agro necessaria.

Unde *bona ecclesiastica omnia,* quae sint valoris supra triginta millia libellarum seu francorum, alienari sine beneplacito prohibentur sub censura, sive sacra fuerint sive non. Et bona ecclesiastica sane sunt census publici (*cartelle di rendita, titoli, obbligazioni, azioni, buoni del Tesoro*), quae ad ecclesiam aliquam vel ad aliquam in Ecclesia moralem personam pertineant: S. C. C. 17 ian. 1906.

Quaenam vero res habendae sint *pretiosae,* nobis iam praefinitum est de iure. Res mobiles *pretiosae* constituuntur: ex causa *artis,* qua confectae sunt; e. g., picturae, sculpturae; ex causa *historiae,* quae est de eis; e. g., autographa, codices, numismata antiquissima rara vel unica; ex causa *materiae* rarae et praeclarae; e. g., vasa aurea aut gemmis ornata; sed earum valor ex tali causa *notabilis* esse debet. Quae res sint *pretiosae,* ex causa artis vel historiae dixerint in casu rei periti. Quaenam vero sint habendae pretiosae ex sola causa *valoris,* non videtur satis constare. Sunt qui (cf. *Pighi* p. 46, *Monit. eccl.* a. 1920 p. 75, *Act. Ap. Sedis* a. 1919, p. 417-18, in una dioec. N.), antiquorum sententia ducti *pretiosas* dicunt, quae aestimantur libellis quingentis aut mille; quia, dicunt, si valor viginti quinque aureorum (qui definiebatur ab antiquis) augendus est ex una parte, ex altera in iure distinguuntur res *pretiosae* a ceteris rebus; unde res *pretiosae* comprehenduntur in lege etiamsi non sit tanti valoris sicut illae, quae pretiosae non sunt. At vero, omni reverentia servata, a nostra opinione, cui adhaerere vidimus *Cavigioli* p. 143 discedere nequimus; est autem huiusmodi, ut res pretiosa ex causa *materiae,* e. g. calix sit *notabilis* valoris ad sensum legis quando eius valor triginta millia libellarum attingeret. Ratio est quia *in aequiparatis eadem currit ratio;* si secus esset Codex, in omnibus determinatus, incertos nos sineret in re, et quasi absurdum sequeretur; etenim in aliorum sententia contraria, si, e. g., *supellectilem,* quae sit ad mille libellas, alienare cuperemus, S. Sedem adire cogeremur, si *domum,* quae illa supellectile ornatur, et quae triginta millia libellarum fere attingit, ab Ordinario veniam impetrare possemus. Ceterum antiquorum sententia de viginti quinque aureis, nonne prolata est de rebus tam *mobilibus* quam *immobilibus?* Et si in novo iure distinguuntur res *pretiosae* a ceteris, id fit quia res non ex una sed triplici causa haberi possunt *pretiosae.*

d. «*Alienare*» accipiendum est iuxta receptam interpretationem iuris antiqui; proinde nomine alienationis veniunt: *a*) sive actus, quibus ius perfecti dominii transfertur: *venditio, permutatio, donatio, transmissio hereditaria; b*) sive actus, quibus bona onerantur: *hypotecatio specialis, impositio servitutis* etc.; *c*) sive actus, quibus transfertur dominium utile: *emphyteusis* etiam tem-

poranea in Italia, *redemptio* canonis emphyteusis : c. 1542, *locatio* ultra novennium : c. 1541.

e. « Qui alienare *praesumpserint*... si beneplacitum apostolicum fuerit *scienter* practermissum ». Sic ius sibi cohaeret ex omni parte, et *praesumptio* requiritur tum contra legem de non facienda alienatione sine beneplacito, tum contra legem de beneplacito prius obtinendo ; unde a censura excusant tam ignorantia crassa quam aliae causae, de quibus n. 31, 3°, sive in alienatione fuerint sive in praetermissione beneplaciti.

f. « *Praetermissum* » non est beneplacitum, si quis alienaret sub conditione : « si beneplacitum datum fuerit ».

g. « *Omnes quovis modo reos* », etc. ; sunt vero : *a) qui,* alienare civiliter valentes, in alienationem *dederint ;* sive laici, sive clerici, etsi Episcopi ; sive personae physicae, sive personae morales ; *b) qui,* accipere civiliter valentes, in alienationem *acceperint ;* sive laici etc., ut supra ; *c) qui* proprium consensum, sive civiliter sive ecclesiastice acceptum, in alienationem *praebuerint.* « *Reos quovis modo* » ; ideo etiam si non per se egerint, sed per alios ; sive forma alienationis explicita seu aperta, sive implicita seu velata. — Et nota ius particulare. « Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae ; secus licentia *irrita* est » : c. 1532, § 4. Unde excommunicatio non effugeretur.

Pretium autem rei, ex quo eruitur quando necessarium sit beneplacitum apostolicum, praefiniendum est eo modo, quo praefiniendum dicitur in alienatione, idest per aestimationem : « Aestimatio rei a probis peritis scripto fiat » : c. 1530, § 1.

h. *Agitur* hic procul dubio de rebus, quae servando servari possunt : c. 1530, § 1 ; et de casibus, in quibus immediata alienatio non urgetur, neque necessitate, neque causa magnae utilitatis transeuntis. Si enim ageretur de huiusmodi casu, consensus Ordinarii seu dioecesani Consilii administrationis satis esset, vel etiam consensus praesumptus.

Praeterea : « Administratores possunt *titulos ad latorem*, quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque, quorum intersit » : c. 1539, § 2.

i. « **Insignes reliquiae** aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, nequeunt *valide alienari* neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu » : c. 1281, § 1. Ergo permissio Ordinarii non sufficit. *Commutatio* vero est species alienationis ; item donatio.

Donaria votiva quaelibet iisdem reliquiis aut imaginibus tributa illicite et invalide alienarentur ex solo permissu Ordinarii; requiritur semper venia Apostolicae Sedis. Cf. *Acta Ap. Sedis*, XI, 416; *Monitore eccl.* a. 1920, p. 74.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex alienatione aperta aut velata bonorum ecclesiasticorum (immobilium, mobilium, iurium realium) vel rerum pretiosarum, quae sine ulla causa imputabilitatem minuente facta fuerit de materia valorem triginta millium libellarum attingente, necessario beneplacito apostolico praetermisso sine ulla causa imputabilitatem praetermissionis excusante.

2. **Causa non integra** est: *a)* si agatur de re aut iure, cuius valor sit infra pretium triginta millium francorum; *b)* si aliqua causa adsit imputabilitatem delinquentis minuens et proinde *illum* excusans a censura; *c)* si non agatur de alienatione perfecta, sed de alio actu, puta locatione ad annum; *d)* si alienatio facta fuerit sub conditione hac: si beneplacitum apostolicum concessum fuerit; *e)* si casus necessitatis, sive iuris sive facti, urgeat alienationem statim faciendam. — **Olim** non causa censurae dicebatur alienatio, praesertim de ecclesia ad ecclesiam, veteris supellectilis pretiosae, si alia huiusmodi nova supplebatur: **hodie** aliter sentiendum videtur.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a)* administratores, oeconomi, superiores qui alienaverint; *b)* quotquot nomine proprio alienationem acceptaverint; *c)* superiores, patroni, aeditui, consilium administrationis qui consensum requisitum dederint, sive explicite sive tacite.

4. **Obnoxii non sunt:** *a)* agentes nomine alieno; *b)* notarii et testes.

Adn. a. *Alienatio,* quae facta fuerit, irrita esset ipso iure: c. 1530, 3; 2347; ac proinde restitutio urget.

b. *Si agatur de re,* quae sit pretii infra triginta millia libellarum, consensus legitimi Superioris adhuc *necessarius est,* non solum ad validitatem actus, sed etiam ad vitandas poenas canonicas, quae secus subeundae sunt, diversae pro diversis casibus. — Et integrum ius ad rem iuvat referre.

Can. 2347. « Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserint aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532 » (*et haec omnia valent profecto etiam contra delinquentes obnoxios censurae nemini reservatae supra expositae*) :

1.° Si agatur de re, cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur;

2.° Si agatur de re, cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus iure patronatus; administrator, munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum.

Legitimus Superior, cuius licentia praescribitur c. 1530 necessaria ad validitatem alienationis, nec non ad poenas vitandas, est, *in 1° casu*, « loci *Ordinarius*, *audito* administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et *cum eorum consensu*, quorum interest » ; *in 2° casu*, « loci *Ordinarius*, *dummodo* accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum, quorum interest » : c. 1532, § 2, 3.

c. Nemo sit qui hoc ius poenis sancitum dixerit durius; quamvis enim dominium bonorum ad eam pertineat moralem personam, quae eadem bona legitime acquisivit, *tamen id* fit sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae : c. 1499, § 2 ; et data supra lex necessaria est ad abusus et damna praecavenda.

44. *Quid de quarta, quae est in cogentes ad statum clericalem vel ad religionem ?*

Can. 2352. Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

Declaratio a. *Ius vetus ;* qui feminam invitam, *extra casus in iure expressos,* coegerint... et qui qui consilium, auxilium, favorem, praesentiam, auctoritatem praestiterint ». *Ius novum,* supra relatum, nostris temporibus magis accommodatum est, et *duos casus canonicos* antiquioris iuris praetermittit.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis, quae, ad religionem quod attinet, repetitur can. 542, 1°, quo etiam irritatur coactus ingressus, et can. 572, 4°, quo invalidatur coacta professio. — Et quod attinet ad statum clericalem, violatio can. 971, qui dicit : « Nefas est quempiam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere ».

c. « *Omnes qualibet etiam dignitate fulgentes* » ; ergo nec reges, nec imperatores se habeant ut exemptos a censura huiusmodi ; sed utique Cardinales, quia non explicite nominantur.

d. *Quoquo modo cogant* » ; igitur non solum si cogant vi et gravi metu minaci aut reverentiali, sed etiam si blanditiis, promissionibus, importunis precibus, odiosis suasionibus dolo adigant nolentem ; itemque etiam si non *immediate* cogant, agendo in virum aut feminam, sed cogant, adigant virum aut feminam *mediate,* agendo in eorum parentes, tutores, superiores, dummodo *directe,* idest eo fine ut vir aut femina cogantur. Hi autem parentes etc. censuram simul contrahunt, si et ipsi graviter deliquerint ex tali activa cooperatione, *sine qua* delictum non fuisset consummatum.

e. « *Ad statum clericalem* » ; hunc quis amplectitur, quando divinis ministeriis per primam *saltem* tonsuram mancipatur : sic enim clericus fit : c. 108. — An quis innodaretur hac censura, si cogeret ad recipiendos ordines maiores clericum, qui, post ordines minores sponte susceptos, vel tonsuram, ad statum laicalem redire vellet ? Censemus affirmandum, quia habetur violatio canonis 1971 ; etenim cogere ad *retinendum* statum, qui licite dimitti posset, idem est ac cogere ad illum amplectendum.

f. « *Ad religionem ingrediendam* ». Nomine Religionis venit : « Societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt » : c. 489, 1°.

Comprehenduntur itaque indiscriminatim : 1. *Ordo,* idest religio, in qua vota sollemnia nuncupantur ; *Congregatio monastica, idest* plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore ; 3. *Religio exempta,* idest religio, sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta ; 4. *Congregatio religiosa* vel simpliciter *Congregatio,* idest

religio, in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur; 5. *Religio iuris pontificii*, idest religio, quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; 6. *Religio iuris dioecesani*, idest religio, quae ab Ordinariis erecta, laudis decretum ab Apostolica Sede nondum obtinuit; 7. *Religio clericalis*, idest religio, cuius plerique sodales sacerdotio augentur: c. 488, 2° 3° 4°.

Ingressio in religionem fit per novitiatum susceptum. Cf. *Sole*, p. 327. — Oportere tamen videtur ad censuram, ut admissio ad novitiatum valida esset ad normam can. 542, nisi eius validitati obstaret coactio.

g. « *Vel ad amittendum professionem religiosam* ; quae valida sit, per se, quatenus omnia ad validitatem eius necessaria ad normam canonis 572 adessent, deest tantum libertas, et ex hac parte, scilicet coactionis est invalida. — Idque sive agatur de prima professione, temporaria ad triennium: c. 574, § 1, sive de altera, quae sequitur perpetua, simplex aut sollemnis: c. 575, § 1. — Qui eamdem personam coegerit prius ad religionem ingrediendam postea ad professionem emittendam, bis censuram incurreret.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a*) ex coactione sive immediate sive mediate facta alicui feminae, ut invita religionem cuiuscumque generis ingrediatur, vel ut sponte prius ingressa, invita emittat religionis vota; *b*) ex coactione item illata viro, ut invitus tonsuram recipiat, vel invitus ingrediatur religionem cuiuscumque generis, vel ut sponte prius ingressus, invitus in ea emittat vota religionis; aut sponte clericus factus et ad statum laicalem redire volens, ad ordines maiores accedat; *effectu secuto*, idest post ingressum in religionem, post professionem emissam, post statum clericalem susceptum, post susceptionem ordinis sacri.

2. **Causa non integra** esset: *a*) si ageretur de consilio, adhortatione data deliberanti, haesitanti, petenti consilium; *b*) si ageretur de coactione ad vitam ducendam quasi eremitae, vel custodis alicuius sacelli seu sepulcri; *c*) si ageretur de ingredienda congregatione, quae falso dici velit religiosa, cum orta non fuerit ex auctoritate Ordinarii, vel, quamvis olim legitime orta sit, tamen impraesentiarum legitime reiecta et soluta est; vel de societate

quae votis publicis non gaudet; vel si ingressus nullus aut nulla professio sequatur.

4. **Obnoxii non sunt:** *a)* Cardinales; *b)* qui egerint cum ignorantia vincibili sive legis prohibentis sive censurae.

45. *Quid de quinta, quae est in poenitentem, qui debitam denuntiationem sollicitationis omiserit?*

Can. 2368, § 2. Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.

Declaratio. a. *Ius vetus:* «Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes» etc. *Ius novum*: «Qui *scienter, a quo* sollicitatus fuerit». Ius mitius et clarius.

b. *Excommunicatione plectitur* violatio canonis 904, qui dicit: «Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 iun. 1741, debet poenitens *sacerdotem,* reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere». Cf. Instr. S. Off. ad Episcopos missa a. 1866, quam affert etiam *Scavini* n. 521.

c. «*Fidelis*»; igitur quilibet baptizatus et quaelibet baptizata ad Ecclesiam Latinam pertinens: «quaecumque persona illa sit». Const. *Sacr. Poenit.* — *Qui impubes est* huic censurae non est obnoxius, tamen lege denuntiandi ipse quoque tenetur, et quidem sub poena censurae, post aetatem pubertatis adeptam.

d. «*Qui scienter*»; ergo a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3°. Excusant, inquam, a *censura* contrahenda ob omissionem denuntiationis intra mensem, non vero ab *obligatione,* quae adimplenda erit semper, et quidem sub censura, cum primum causa excusans cessaverit.

e. «*Eum, a quo* sollicitatus fuerit»; igitur lege *censurae* tenetur *fidelis qui sollicitatus fuerit,* et non fideles, qui *alienam*

sollicitationem audierint, cognoverint. Isti quidem *denuntiare* tenentur sub gravi, ubi rem certe cognoverint *a personis fide dignis* (S. Off. 11 febr. 1661), non ex causa petiti consilii (*S. Alph.* VI, 680 ; *D'Annib.* n. 182, not. 20), si sollicitatio cedat in perniciem animarum, et possint denuntiare sine gravi incommodo : sed non tenentur sub censura. — Ceterum in canone 904 explicite dicitur : « debet *poenitens* sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione... denuntiare ».

f. « *Denuntiare* » : profecto rite, scriptis aut verbis, non per litteras anonymas. Et qui, impeditus, quominus voce denuntiet, cunctatur aut renuit denuntiationem committere alteri aut epistolae, non ideo deobligatur a lege : Instr. S. Off. 20 febr. 1867.

Denuntiatio fieri debet *in forma iudiciali* cum notario ; sed delegari potest etiam *sine notario* eique solet praemitti *privata* denuntiatio. Cf. Instr. citata.

g. « *Loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii* » : non aliis ; nisi quis delegatus fuerit legitime, ut ipse in casu denuntiationem recipiat ; idque dicendum etiamsi confessarius sollicitans sit sodalis religiosus, quia statuta iamdiu disciplina nunc canone 501, § 2 confirmatur : « Superioribus quibuslibet (religiosis) districte prohibetur, quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant ».

« *Ordinario loci* », ubi sollicitata persona *hic et nunc* commoratur, *non Ordinario* proprio sollicitantis aut sollicitatae personae aut dioecesis, in qua sollicitatio facta est.

h. « *Intra mensem* », a cognita obligatione denuntiandi et a cognita censura secus incurrenda, aut ab obice remoto. — Et ne lex ipsa frustretur, ideo *grave onus conscientiae factum est confessariis*, ut sollicitato poenitenti patefaciant legem utramque et urgeant obligationem : c. 904 ; Const. *Sacramentum Poenitentiae*.

i. « *Sacerdotem* » ; prout dicitur in Const. *Sacramentum Poenitentiae,* quae afficit « omnes et singulos sacerdotes tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum et cuiuscumque dignitatis et praeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos... et etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat ».

l. « *Reum delicti sollicitationis in confessione* ». — *Sollicitatio* est quaedam solers inductio seu quidam motus alienae voluntatis ad aliquid agendum vel patiendum. — *Delictum* sollicitationis desumendum est in singulis casibus potissimum ad normam citatae Const. *Sacramentum Poenitentiae,* secundum quam delictum consummatur ex duobus simul acceptis : *a) ex materia turpi,*

contra sextum Decalogi praeceptum; *b) ex circumstantia confessionis* aut *relationis* ad confessionem.

a) Materia delicti sollicitationis est tum «illicitos et inhonestos sermones, aut tractatus temerario ausu habere», tum «ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare». — Unde materiam delicti sollicitationis praebet: *a)* sacerdos, qui *ausu temerario,* idest sciens, animadvertens et sine causa excusante *sermonem*, idest plura verba, quae rationem habeant sermonis, facit, quae turpia vel de turpibus sint adeo ut, cumulative accepta peccatum mortale constituant; *b)* sacerdos, qui *ausu temerario*, ut supra, *tractatus illicitos et inhonestos habet,* idest agit, disserit de re turpi peragenda, quae peragi prohibetur sub culpa gravi; *c)* sacerdos, qui personam audientem provocaverit, seu adducere contenderit ad grave peccatum externum luxuriae, sive operis, sive adspectus, sive colloquii, sive tactus, sive osculorum faciendum; *et* quocumque modo ad hoc sollicitaverit: «sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam», ut dicitur in citata Constitutione, sive etiam conatu alliciendi personam ad suum amorem, aut donis vel laudibus de pulchritudine ad pessimum finem huiusmodi tributis, ut dicunt auctores cum S. Alphonso; *et* insuper sive «pro se ipso, sive pro alia persona» sacerdos sollicitaverit. — Qui sollicitaret aliquem ad turpia solitarie committenda, haberet *tractatus inhonestos*, et esset sollicitator ex hoc capite. Qui sine ulla causa excusante *loqueretur* cum coniugata persona de iis, quae in matrimonio licent, sed extra matrimonium sunt turpia, haberet sermones inhonestos, et sollicitator est ex hoc capite.

b) Circumstantia delicti sollicitationis est: *a)* habere illicitos et inhonestos sermones aut tractatus «sive *in actu confessionis,* sive *ante,* sive *immediate post confessionem,* sive *occasione* aut *praetextu confessionis,* vel etiam extra occasionem confessionis *in confessionali*, sive *in alio loco ad confessiones audiendas destinato*, *aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem*»; *b)* item, *in dicta circumstantia* ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, ut supra. Et satis est ut *in circumstantia* sollicitatio vel provocatio fuerit solum incepta per aliquod signum externum, etiam per se non malum, sed indifferens, e. g. per epistolam domi legendam, per eleemosynam, per invitationem ad domum propriam seu talem locum; si postea sollicitatio fiat cum *relatione* ad huiusmodi initium, *delictum* consummatum est et lex denuntiandi urget. — Explicatur *circumstantia.*

«*In actu confessionis*», hoc est inter confessionis initium, factum ex parte poenitentis, et finem, positum ex parte confessarii.

«*Ante... confessionem*», id est antequam poenitens, qui ad

confessionem instituendam venit, eamdem sumat vel incipiat faciendam.

« *Immediate post confessionem* », significat moraliter statim a peracta confessione, priusquam talis actio intercedat, quae hanc moralem coniunctionem inter confessionem et sollicitationem dirimat.

« *Occasio confessionis* », obtinet quando sacerdos motivum seu oppurtunitatem sollicitandi vel inhonestos sermones aut tractatus habendi carpit ex confessione, quam quis petit pro se hic et nunc instituendam; puta, mulier quae accedit ad sacerdotem in sacristia vel in domo canonica et petit adsistentiam suae confessioni statim faciendae, et sollicitationem ibidem patiatur: idque dicendum quamvis postea confessio nulla sequatur.

« *Praetextu confessionis* » agit sacerdos qui ficte causam confessionis profert; e. g., si quis ad infirmam solus accedere vel consistere velit, praeiactato motivo audiendi eam in confessione.

« *Etiam extra occasionem confessionis in confessionali* », scilicet loco publico pro audiendis confessionibus posito et ordinato. Auctores plures merito censent, etiam huic parti iuris applicandam esse clausulam hanc « cum simulatione audiendi ibidem confessionem ». Sed haec simulatio confessionis obtenditur iis, qui sunt praesentes vel supervenient *ex facto ipso*, quando confessarius sedit in loco confessionum publico et femina ad eum accedit eique loquitur more poenitentis. Unde etiam confessarius, qui eam detineat, *de facto* confessionem ipse simulat. Attamen vi ipsius clausulae non esset denuntiandus confessarius, qui mulierem accedentem sollicitaverit in loco confessionum, sed non alloquens ei more confessarii ad poenitentem, ut si illam stantem alloqueretur stans et palam *(in piedi visibilmente)*.

« *Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo* », hoc est etiam in alio loco, qui non sit *ordinarius* locus confessionum (l'*ordinario publico confessionale*), sed extraordinarius (*in via straordinaria, eccezionale, occasionale*) destinatus fuerit *ab aliis* vel electus fuerit a *confessario* aut a *poenitente*. Et hic certe attendenda est clausula « *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* »; quae simulatio aderit quando confessarius et poenitens ita se habeant in eo loco, ut adstantes, qui fuerint vel supervenerint, credere debeant, *ibi ab eis confessionem peragi.*

m. *Consummatum est* vero sollicitationis delictum: *a*) *etiamsi* poenitens sollicitationem in confessione inchoatam non animadverterit et postea attentatam reiecerit; *b) etiamsi* poenitens sollicitationem in confessione peractam, puta per graviter inhonestos et illicitos sermones, non perceperit, aliqua de causa, puta simplicitate; perceperit autem postea; *c*) *etiamsi* poenitens nullo modo

consenserit; *d) vel etiamsi* statim consenserit seu sollicitatio fuerit mutua.

Sed non consummatum est delictum: *a*) si *gravitas* luxuriae absit et in iis, quae adhibentur, et *in iis*, quae intenduntur; *b*) si sollicitator non sit in ordine presbyteratus constitutus, sed sit laicus vel solum clericus, subdiaconus, diaconus; *c*) si non agatur de Confessione, sed de aliis Sacramentis vel diviniis officiis; *d*) si sermones, per se inhonesti, fiant iusta de causa; quamvis peccet sacerdos, qui etiam inhonesta non honeste tractet.

2. Denuntiandus est confessarius: *a*) «*etiamsi* longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit»: Const. cit.; *b*) *etiamsi* post factam sollicitationem statim confessarium poenituerit, vel in ipsa destiterit; S. Off, 11 mai 1661, ad 2.um; *c*) *etiamsi* confessarius iam fuerit emendatus, ait S. Alphonsus: hac de causa, quia «primaria et praecipua ratio legis denuntiationis non est emendatio personae particularis, sed securitas publica sacramenti et animarum, castigatione certa tam abominabilis criminis et ex metu indeclinabilis poenae»: *Bucceroni*, II, n. 1277; *d) et generatim* etiamsi poenitens noverit « ipsum confessarium in Sancto Officio comparuisse »; S. U. S. 26 iul. 1628: *e) etiamsi* confessarius ille in regionem longinquam profectus iam fuerit, aut denuntiatio nequeant iuridice probari: Const. cit.

Non denuntiandus vero est: *a*) si iam mortuus fuerit, quia tunc cessat totaliter finis legis: S. Off. 6 mart. 1839; S. Poenit. 24 apr. 1884; *b*) si dubium positivum sit, utrum sacerdos Titius fuerit sollicitator, an sacerdos Caius; *c*) si aliud dubium positivum sit, sive iuris sive facti.

Unde: 1. **Causa integra** censurae erit, debitae denuntiationis omissio, quae, sine ratione legitima excusante, sit iam a mense, completo post cognitam obligationem denuntiandi sub poena censurae, et, si quod interea obstiterit impedimentum, post cessationem etiam illius impedimenti.

2. **Obnoxiae sunt** excommunicationi, ex integra causa, *personae* cuiusque sexus; etiamsi sollicitationi consenserint, vel primae sollicitaverint; quae profecto, reum sacerdotem denuntiantes, possunt propriam culpam reticere; libera tamen persona, quae prius sollicitaverit, ad fatendum, si id, pro amore iustitiae et veritatis voluerit, etiam malitiam propriam manifestare.

Adn. **a. Confessarius** caute omnino et prudenter se gerat cum muliere, quae libenter dixerit, se sollicitationi fuisse obnoxiam; nec licet imponere denuntiationem, si delictum non sit certum; sicut nec poenae statutae canone 2368, § 1 infligi possunt priusquam « *perspecta evaserit patrati delicti veritas* » : S. Off. 20 febr. 1866; sacerdos enim, ut ait *Card. Lega* vol. IV, n. 538, qui in confessione non alium habet testem nisi ipsum poenitentem eumdemque facile nancisci potest accusatorem, « ius habet ut huic testi *singulari* eidemque *accusatori* non credatur, nisi res prudentissime antea discussa fuerit in foro iudiciali ». Hinc adamussim servandae sunt normae processuales, quas statuit S. Congregatio S. Officii Instruct. d. 20 febr. 1866, « quasque Ordinarii servare tenentur in processu iudiciali instituendo contra denuntiatum reum sollicitationis » : *Sole,* p. 356. « Nec unquam possunt Ordinarii uti contra sollicitantes facultate qua valent procedendi ex *informata conscientia* » : *Card. Lega*, n. 539.

b. Quisque noscat, falsam denuntiationem, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud *iudices* ecclesiasticos, esse gravissimum peccatum, unicum in iure reservatum Sanctae Sedi ratione sui.

c. Casus verae sollicitationis si contigerit, confessarius doceat poenitentem non solum obligationem et censuram, sed et modum, quo possit suae obligationi satisfacere. Si renuat prorsus huic obligationi satisfacere per se *ex repugnantia,* petat ab eo licentiam consulendi Ordinarium.

d. Poenitens poterit a suis peccatis, immo et a censura, forte, elapso mense, contracta absolvi etiam antequam denuntiaverit, si nempe se obligationi suae satisfacturum *serio* promiserit. Sed prudens confessarius aliquando *consultius* iudicaverit, ut poenitens prius obligationem adimpleat.

e. Si poenitens, absolutus iam a peccato et a censura ob datam *seriam* promissionem denuntiandi, postea, mutata voluntate, non denuntiaverit sine causa excusante, *iterum peccat;* sed *non iterum* incurrit in censuram, etiam post elapsum annum; quia ius de *reincidentia* non loquitur. Confessarius autem illum compellat ad denuntiandum negando absolutionem.

f. Si ageretur de tali sollicitatore, cuius delictum vergeret in publicum animarum damnum, metus etsi gravis a lege et a censura non excusaret: c. 2229, § 3, 3.°

g. « **Qui sollicitationis** crimen, de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur,

et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur»: can. 2368, § 1. — *Praeterea*, quamvis ipso iure absolutio complicis in peccato turpi sit semper invalida, praeter quam in mortis periculo, tamen etiam in periculo mortis, si confessarium non excuset *casus necessitatis*, est *illicita* confessario qui sollicitaverit: can. 884 ad normam Const. Benedicti XIV «Sacramentum poenitentiae» 1 Iun. 1741.

h. Transmissio denuntiationis. «Beatissimi Patris ea voluntas est, ut quotquot sunt in orbe catholico Archiepiscopi et Episcopi, suo quisque clero, iussu Ap. Sedis praecipiant, gravi poena transgressoribus constituta, ut *nullam prorsus denuntiationem* ad praefatum Sacrum Supremum Tribunal *(S. Officii)* per cursorem publicum (vulgo *per posta*) ipse clerus mittere queat aut per fideles mitti permittat, sed suo quisque Ordinario, per sigillum clausam, tradendam curet. — Episcopi vero, cum litteras acceperint, quae ex exteriore inscriptione appareant eidem S. Tribunali destinatae, eas, non tactas, alio includant involucro (italice *busta*), inscriptasque mittant *Cardinali a Secretis Status Sanctitatis suae*, qui, nulla interposita mora, eas, similiter integras Sancto Officio transmittendas curabit». *Circolare* della Segret. di Stato di S. Santità agli Ordinari, de qua *Monitore ecc.* a. 1919, p. 79.

Art. III. - *Excommunicationes reservatae Ordinario.*

46. *Quot sint et quid de illis generatim sentiendum.*

1. **Sunt sex.** earumque absolutio est *de iure* reservata Ordinario; cuius nomine veniunt Episcopi residentiales, Abbates et Praelati *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administratores, Vicarii et Praefecti Apostolici, itemque ii, qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, quisque pro suo territorio tam pro subditis quam pro peregrinis; Superiores Maiores in religionibus clericalibus exemptis. — *Cardinales* omnes ab iis absolvere possunt in confessione ubique terrarum quoslibet poenitentes etiam religiosos.

2. **Simplex confessarius**: - *a) urgente mortis*

periculo potest ab eis absolvere *de iure*, nec datur poenitenti obligatio recurrendi; – *b) in casibus urgentioribus*, potest idem absolvere, sed tenetur imponere poenitenti onus recurrendi sub poena reincidentiae et standi mandatis; – *c)* periculo mortis et casibus urgentioribus remotis, nequit *sciens* absolvere, nisi de facultate sibi concessa a supra dictis Ordinariis; sed si a peccato et a censuris absolvit bona fide ex ignorantia, errore, inadvertentia, *valida* est absolutio.

3. **Qui** communi delinquendi consilio physice concurrunt in delictum; **mandantes: et qui** alium, etiam impuberem, ad delicti consummationem inducunt *tali influxu, sine quo* delictum non fuisset commissum singulis censuris sunt subiiciendi, licet in lege censurae non nominentur explicite.

47. *Quid de prima, quae est in celebrantes matrimonium coram ministro acatholico et in delinquentes circa baptismum et educationem prolis?*

Can. 2319. Subsunt excommunicationi latae sententiae catholici:

1.° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063;

2.° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3.° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos afferre praesumunt;

4.° Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

Declaratio a. *Ius vetus* aliquid simile habebat; sic, e. g., censebatur obnoxia excommunicationi, Romano Pontifici speciali modo reservatae, pars catholica, quae matrimonium iniret coram ministro acatholico; censebatur enim sectae acatholicae adhaerere. *Ius novum* malis ingruentibus melius occurrit.

b. Excommunicatione plectitur violatio *canonis* 1063, qui

dicit : « etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel *ante* vel *post* matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, *sive* per se *sive* per procuratorem, ministrum acatholicum *uti sacris addictum*, *ad* matrimonialem consensum *praestandum vel* renovandum. — Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, *officialis civilis tantum* munere fungente, idque *ad actum civilem dumtaxat* explendum effectuum civilium gratia ». — Et violatio *canonis* 1061, ex parte qua dicitur : « Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi... cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda ».

c. « *Subsunt catholici* », profecto ex *valido* baptismo suscepto et *actuali* eorum addictione catholicae Ecclesiae ; etsi iniquam ducant vitam — Non subest qui non valide baptizatus est, nec baptizatus qui actualiter sit alicui sectae haereticae aut schismaticae addictus. Cf. infra, adn. *d*.

d. « *Qui matrimonium ineunt* » etc. — Parum refert quod delictum fiat ex inito pacto, aut hoc secluso, fiat *ante* vel *post* matrimonium ecclesiasticum, immo fiat omisso matrimonio ecclesiastico ; si caeremonia *religiosa* ad incundum matrimonium more acatholicorum praescripta, coram ministro acatholico tandem fiat, *sive* per se, *sive* per procuratorem, censura tenet ; non tenet si coram ministro acatholico, officialis civilis solo munere tunc fungente, caeremonia *civilis* matrimonii agatur ad effectus civiles assequendos, ut apud nos contingit pro caeremonia civilis matrimonii coram syndico loci, aut in Suetia, ubi catholicus documenta celebrandi matrimonii affert subsignanda ; sed tenet, si caeremonia et religiosa et civilis *simul et indivisibiliter* esset. A censusa excusant ignorantia vincibilis, *metus gravis*, qui tamen non vergat in contemptum fidei aut Ecclesiae, aut religionis.

e. « *Qui matrimonio uniuntur cum pacto* » etc. *Pactum* matrimonio praecedere debet ; quod postea factum fuerit non esset causa censurae. Pactum *implicitum* sufficit ; et tale est pactum, quo pars catholica se obligaret ad omnia compartis placita *circa educationem prolis religiosam*. Pactum, *initum serio*, censuerim *sufficere* ad censuram etsi privatim initum ; *non serio initum* dixerim sufficere, in foro externo, solum si constaret *ex forma legali*. Pactum vero, sive sit de prole suscipienda sive de iam suscepta prole, de omni prole vel de una tantum, ad censuram semper satis erit. — Censura contrahitur non pactum *faciendo*, sed *contrahendo* matrimonium. Procul dubio tollitur censura, si tollatur ipsum pactum *antequam* matrimonium fiat. — *Metus*

gravis non excusat a censura, quia agitur de re intrinsece mala, et in lege non requiritur *praesumptio.*

f. « *Qui scienter... praesumunt* »; ergo a censura excusat non solum ignorantia crassa seu supina, sed et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.° — Non enim agitur de re intrinsece mala; et pia Mater Ecclesia multum indulgere censuit filiis suis, qui versantur inter acatholicos. — Procul dubio censurae subiiciuntur parentes catholici omnes, sive *legitimi* sive *naturales.*

g. « *Parentes vel parentum locum tenentes* »; igitur etiam *tutores* filiorum, *educatores* puerorum seu *rectores* collegiorum. — « In religione acatholica *educandos* vel *instituendos* liberos », sive proprios, sive aliorum, ex propria tamen voluntate, non vero ex voluntate parentum seu tutorum. — *Educare* idem est ac *instituere nutriendo*: *Forcellini* Lexicon, v. *educo.* Unde *nutrices, institutrices* subaudiuntur, quae sunt primae puerorum magistrae. *Instituere* frequentius significat *erudire, docere* praesertim adolescentulos; significat dirigere ad agendum re monstrata, et quasi in honesta re monstrata statuere et collocare: *Forcellini* v. *instituo;* unde institutorum loci seu scholae subintelliguntur, vel educatores maiores potius quam nutrices seu institutrices.

h. « *Scienter tradunt* »; unde a censura excusabunt ignorantia crassa et quaelibet causa ex minuentibus imputabilitatem (n. 31, 3°).— Pia Mater Ecclesia et his multum indulget; praeterea qui tradit invitus, potest etiam simul aut postea veneno falsae religionis remedium aliquod opportunum praestare.

Itaque: 1. **Causa** censurae, quando integra sit in singulis casibus, quando vero non, iam satis patet ex dictis.

2. **Etiam obnoxii** censurae iam satis dignoscuntur, quinam sint, quinam vero non.

Adn. a. Delinquentes iuxta quae dicta sunt *e) f) g)* « sunt praererea suspecti de haeresi: c. 2319, § 2; et confer. n. 69.

b. « *Severissime* Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur »: c. 1060. — *Est impedimentum* canonicum impediens matrimonium; a quo Ecclesia non dispensat, nisi sub conditionibus praefinitis canone 1061.

c. *Pactum initum* de prole educanda extra catholicam Eccle-

siam non impedit validitatem matrimonii, etsi positum fuerit ut conditio *sine qua non* contraheretur matrimonium; quia talis conditio non est contra *matrimonii* substantiam, ad normam c. 1092. *Gasparri,* II, 1013.

d. *Cavigioli* (n. 155) censet legem censurae huiusmodi spectare etiam ad *disparitatem cultus.* Ait: « et si in can. 1063, § 1 expresse non agitur de impedimento dirimente *disparitatis cultus,* quoniam in his matrimoniis canon 1071 iubet servari ad unguem normas can. 1063, infer, si cui Ecclesia permiserit ut hebraeam ducat, eum hac censura teneri elicientem aut renovantem nuptialia placita coram synagogae praeside. Ceterum, acatholicis etiam infideles, ideo et hebraei accensentur, ut lucide innuunt et docent canones 1350, 1099, § 2 ». — At non videtur, primo quidem quia « non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, immo gravior » : c. 2219, § 3 ; secundo vero, quia normae canonis 1063 servandae sunt etiam in matrimoniis, de quibus canon 1071, quod attinet ad cautiones praestandas ; tertio autem, quia in citatis canonibus non datur vera aequiparatio in omnibus, nec in nostra re ; quinimmo sicut canon 1099, § 2 legi de forma celebrationis servanda explicite subiicit matrimonia *mixtae religionis* et matrimonia *disparitatis cultus,* ita legislator poterat *explicite* legi huius censurae subiicere etiam catholicos contrahentes cum dispare cultus, de quibus canon 1071.

Cappello (n. 125) ita : « quamvis canon 1063, § 1 dicat : *etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis,* manifestum est excommunicationem contrahi etiam si praefata dispensatio impetrata non fuerit, aut utraque pars catholica sit ». Iamvero censuram contrahi « etiam si dispensatio impetrata non fuerit » pro certo habemus ; attamen valde dubitamus « si utraque pars catholica sit » ; et ratio est, quia etiam tali modo (ut eruitur ex contextu) poena extenderetur de persona ad personam seu de casu ad casum ; et in dubio ius strictam interpretationem accipit. Praeterea hoc ius tandem nihil aliud est quam clausula, quae in rescriptis dispensationum super impedimentis a S. Officio semper apponebatur : « dummodo neque ante nec post matrimonium coram parocho catholico partes adeant ministrum acatholicum ». — Putamus Ecclesiam censura voluisse praecavere non omne malum nec omne perversionis periculum, sed illud, quod nunc commune ac proinde etiam maius imminet ex invasione acatholicorum fere ubique grassante ; unde ius hoc eum illo de reservatione conveniret. Cf. canon 897.

48. *Quid de secunda, quae est in delinquentes ex falsis reliquiis?*

Can. 2326. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.

Declaratio. a. *Ius vetus*: « extrahentes sine venia reliquias ex S. Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae »; *ius novum*, ut videtur, sanctitatem religionis hac in re tueri contendit duplicatis viribus, fortasse quia sanctitas ipsius religionis maiori periculo exponitur hodie quam antea, impietate ubique locorum grassante simul cum sacra auri fame.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis divinae, potissimum quae continetur in primo Decalogi praecepto. Cf. Conc. Trid. sess. XV.

c. « *Qui falsas reliquias conficit* »; sive unus sit, sive plures qui ex communi consilio et opera communi agant; unde simul excommunicationem incurrere possunt et fossor coemeterii, qui ossa praebeat, et officialis Curiae, qui ea in thecis claudit et obsignat de more, et Episcopus, qui ea donat authenticitate. — Profecto tunc *falsa reliquia conficitur*, cum *id, quod non est* vera reliquia, *genuinitate* seu authenticitate verae reliquiae *scienter restitur*: c. 1283. Lex tamen censurae illud *scienter* omittit pro eo « qui falsas reliquias, conficit », ne videatur praesumptionem seu plenam cognitionem et plenam deliberationem exigere. Et ideo conficiens ignorantia vincibili a censura excusabitur, sed non ignorantia crassa seu supina; nec excusabitur metu gravi aut gravi incommodo, quia in casu delictum vergit in contemptum religionis (n. 31, 4°).

« *Qui reliquias* », profecto cuiusque generis; sive Sanctorum, sive Beatorum, sive ex ossibus, sive ex indumentis, sive insignes, sive non insignes. — « *Falsas confecerit* »; sane et *materialiter*, eo quod vere agitur de rebus, quae non sunt in natura sanctarum reliquiarum, et *formaliter*, eo quod talis natura rerum cognoscitur a conficiente.

Unde non datur causa censurae, si quis instituerit reliquias *veras*, licet putet eas esse falsas; nec si quis instituerit reliquias *falsas*, ratus eas esse veras.

Delictum iam consummatum erit statim ac reliquiae falsae, etiam numero unius, fuerint *authenticitate* donatae; quae authenticitas falsa dupliciter haberi potest: *a*) ex legitima authenticitate data *rebus*, quae non sunt reliquiae; *b*) ex data iisdem rebus *falsa* authenticitate.

d. « *Qui falsas conficit* » ; ergo non datur locus censurae, si agatur de sacris reliquiis, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, quamvis explicita lege prohibeantur publicae venerationi exponi sine praevio iudicio Episcopi loci : c. 1285.

e. « *Qui scienter vendit, distribuit vel publicae venerationi exponit.* Pro his lex praesumptionem postulat ; unde eos excusant a censura tum ignorantia crassa tum causae illae, de quibus n. 31, 3.°

« *Qui vendit* » ; sive privatim sive publice, sive simoniaco animo sive non, sive multum sive parum.

« *Qui distribuit* » ; sive laicus, sive clericus, sive religiosus aut monialis ; ex quolibet fine distribuerit ; et sive gratis dederit, sive favore repenso.

« *Qui publicae fidelium venerationi exponit* », sive in ecclesia, sive in oratorio publico vel semipublico, sive etiam extra locum sacrum, sub dio, si adsint fideles, quorum venerationi reliquiae exponuntur.

Attamen *qui exponit,* debet esse talis, qui coram fidelibus legitime exponere videatur : *sacerdos, clericus ;* non persona laica, cui nullo modo competat actus exponendi.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est : *a)* ex voluntaria confectione materialiter et formaliter falsa reliquiarum cuiusvis generis, statim ac confectio fuerit peracta ex tributa *falsis* reliquiis authenticitate, sive *falsa,* sive *vera ; b)* ex voluntaria et omnino libera venditione aut gratuita distributione, sive publica, sive privata huiusmodi reliquiarum, quae *falsae* noscantur a venditore seu distributore ; *c)* ex istarum publicae venerationi expositione, quae etiam semel fiat voluntarie et omnino libere ab eo, qui legitime exponit, e. g., sacerdos, diaconus.

2. Causa non integra esset : *a)* si ageretur de temeraria instauratione antiquarum reliquiarum, quarum genuitatis documentum authenticum non amplius reperiatur ; sed tamen eas esse falsas non certe constat ; *b)* si quis mercator pessimus venderet aut distribueret reliquias falsas, quae non nisi a coecis ut verae recipi possunt ; nullum enim documentum, nec speciem veritatis prae se ferunt ; *c)* si non legitima persona reliquias publicae venerationi

exponeret, ut esset mulier in ecclesia, villicus secus viam; *d)* si expositio fiat in domo aut oratorio privato.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a) conficientes,* sive laici, sive clerici, sive moniales; *b) scienter vendentes* et *scienter distribuentes*, sive personae privatae sint sive publicae, et sive alienatio fiat privatis sive omnibus indiscriminatim; *c) scienter exponentes* ex legitima potestate, sive in ecclesia sive extra, dummodo publicae fidelium venerationi.

4. **Obnoxii non sunt:** *a)* qui, seposito communi delinquendi consilio, ad *confectionem* opera adeo remota concurrunt, quae nec sufficiens nec necessaria est ad delictum patrandum, adiunctis rerum perpensis in singulis casibus; *b)* qui vendunt, distribuunt, exponunt cum causa imputabilitatem minuente.

Adn. a. « **Sacras reliquias vendere** nefas est; adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei, parochi aliive curam animarum habentes, sedulo caveant, ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant. — Rectores ecclesiarum ceterique, ad quos spectat, sedulo invigilent, ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur » : c. 1289.

b. « **Publico cultui** eae solae reliquiae in ecclesiis, quamquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici, cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa »: c. 1283, § 1.

49. *Quid de tertia, quae est contra iniicientes manus in personam clericorum infra Episcopos, aut religiosorum utriusque sexus?*

Can. 2343, § 4. « Qui violentas manus iniecerit... in personam clericorum aliorum *(nempe infra Episcopos, etiam titulares tantum)* vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat ».

Declaratio. a. *Ius vetus:* « Si quis, *suadente diabolo,* violentas manus iniecerit » ; et excommunicatio erat R. Pontifici *simplici modo* reservata, cum speciali tamen disciplina absolutionis ; haec enim in pluribus casibus dari poterat etiam ab Ordinario. — *Ius novum,* omisso inciso illo: *suadente diabolo* (quod hoc tantum importabat, percussionem fieri cum peccato gravi), personas ecclesiasticas latiore iure defendit; verum censura est reservata non Romano Pontifici, sed Ordinario ; non tamen Ordinario *cuilibet,* sed *proprio* personae iniicientis manus.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis, quae, praeter quam in quinto Decalogi praecepto, est in canone 119, pro Clericis et in canone 614, pro Religiosis. — Canon 119 ait: « Omnes fideles debent Clericis pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando Clericis realem iniuriam intulerint ». Et canon 614 dicit: « Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur Clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123 ».

c. « *Qui violentas manus iniecerit* » : verba huiusmodi habentur etiam in antiquo iure, nominatim in canone lateranensi, et idcirco eiusdem recipit interpretationem. Ex communi autem interpretatione huiusmodi *iniectio violentae manus* habetur tripliciter : *a)* ex violenta et iniusta *laesione corporis,* per vulnus, percussionem, deiectionem ; *b)* ex violenta et iniusta *laesione libertatis* per carcerationem vel detentionem etiam in loco privato; *c)* ex violenta et iniusta *laesione dignitatis,* quomodolibet illata, foedando sputis, sordibus, sistendo currum, detrahendo vestes, pileum ; *dummodo* actiones huiusmodi, etsi levius laedant corpus, graviter laedant honorem, iuxta moralem hominum aestimationem.

Manus violentae habentur etiam si quis non laedat ex odio, sed laedat ex vindicta, ex mercede; satis est ut sint *formaliter sacrilegae,* eo quod violentus cognoverit personam esse *clericum* vel *religiosum* vel *religiosam.*

Sed manus violentae non haberentur: a) si causa daretur iusta ita agendi, puta, *tutela* sui vel alius personae; *b)* vel si agenti ignota esset qualitas personae religiosae ; *c)* vel si causa adfuerit, quae ab imputabilitate, saltem gravi, excusaret; uti est subita ira, inadvertentia.

d. « *In personam aliorum clericorum* » scilicet venientem post eos, quos canon recensuerat; recensentur autem prius Romanus Pontifex, S. R. E. Cardinales, Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi etiam titulares tantum. Unde hic nomine clericorum veniunt quotquot dignitate episcopali non sunt aucti, quamvis sint Ordinarii, usque ad tonsuratum, inclusive. — In iure antiquo quidam dixerunt privilegio *canonis* frui etiam Se-

minaristas seu sacrorum alumnos licet nondum tonsuratos; haec sententia a iure novo ita aliena est ut merito reiicienda sit: *Cavigioli,* n. 160; *Cappello,* n. 130. — *Clericus* autem huic privilegio (sicut et ceteris, de quibus, cc. 109-122), quia ordini et non singulis conceditur, renunciare nequit: c. 123. Sed eo illico destituitur, si legitime ad statum laicalem redigatur aut regressus fuerit: c. 213, aut depositus pervicax ab Episcopo privetur iure habitum deferendi: c. 2304; illudque resumit, si iterum admittatur inter clericos: c. 123. — Depositio per se non secum fert privationem privilegiorum clericalium: c. 2303, § 1; sed utique degradatio: c. 2305, § 1. — Clericus, qui se percusserit, censura non tenetur.

e. « *Utriusque sexus religiosorum* », profecto religionis cuiuslibet (cf. n. 44); et privilegio gaudent etiam *laici* et *novitii:* c. 614.

f. « *Excommunicationi Ordinario proprio reservatae* »: idest Ordinario, qui proprius est personae delinquentis. — Et nota ius: « Religiosi, nisi fuerint exempti, subduntur Ordinario loci »: c. 500, § 1; et ius aliud: « quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet »: c. 490.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a)* ex gravi et sacrilega offensa reali illata personae, aut libertati aut dignitati clerici non episcopali dignitate aucti; *b)* item ex aequali offensa illata religiosis viris et mulieribus, eorumve laicis aut novitiis.

2. **Causa non integra** est: *a)* si in offensa absit gravitas culpae, vel sacrilegium, sive *formale*, eo quod offensor egit ignorans qualitatem personae, sive *materiale*, eo quia offensor falso putavit, se clericum aut religiosum laedere; *b)* si quis percutiat, detineat non iniusta de causa, puta sui defensione; *c)* si agatur de Episcopis, Cardinalibus etc., quorum offensores maiore poena plectuntur: *d)* si agatur de clerico degradato, de clerico religioso, qui, in minoribus ordinibus constitutus, dimissus fuerit a religione: c. 669, § 2; de religioso apostata a religione; de clerico in minoribus constituto, qui ipso iure e statu clericali deciderit, quia propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimisit, nec, ab Ordinario monitus, sese intra mensem emendavit: c. 136, § 3.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa quotquot delictum iniiciendi violentas manus patraverint. *Ignorantia vincibilis* a censura excusat; sed non excusat crassa seu supina; item excusat causa, quae gravem imputabilitatem tollat, sed non quae solum minuat. — *Qui percusserit* Episcopum aut Cardinalem, aut Pontificem existimans se percutere canonicum, contrahit hanc excommunicationem, quam noverit; non contrahit eam, quae est in *formalem* percussorem Episcopi (n. 58) aut Cardinalis (n. 76), aut Romani Pontificis (n. 82).

Adn. Habetur hic *privilegium canonis,* sic dictum ex canone 15 Conc. Lat. II, celebr. sub Innocentio II a. 1139, et consistit, uti patet, in particulari lege censurae, qua clerici defenduntur et percussores eorum excommunicatione ipso facto innodantur.

50. *Quid de quarta, quae est in procurantes abortum?*

Can. 2350, § 1. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et, si sint clerici, praeterea deponantur.

Declaratio a. *Ius vetus*: «procurantes abortum, effectu secuto»; *ius novum*: «matre non excepta». Et sic perimitur contraria sententia, qualibet auctoritate theologorum sublata. Re enim vera matres sunt plerumque, quae nunc sine timore Dei, sine materno sensu pietatis abortum sibi procurant, ad placitum sui aliorumve. Unde etiam urgebat quodammodo, ut Ecclesia pia mater omnium exsurgeret ad salutem innocentium et importunam theologorum sententiam contrariam sua auctoritate deleret.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio quinti praecepti Decalogi: «non occides»; agitur enim de vero homicidio: can. 20, C. 2, q. 5; quod lex civilis poenis plectendum decernit quidem sed percellere nescit, seu non vult.

c. «*Procurantes abortum*»; tales sunt, qui abortum intendunt atque illum causa aliqua, sive *physica*, puta percussione, potione, sive *morali*, puta inducto maerore aut metu gravissimo, illum obtinere contendunt.

Unde non sunt *procurantes* qui, etsi causa aborti sint, illum

tamen non intendebant nec volebant, licet agenti sit imputabilis, quasi voluntarius *indirecte;* uti est, quando maritus uxorem percutit *ex ira*, praevidens saltem in confuso periculum abortus.

d. « *Procurantes abortum* »; ergo non subsunt censurae *procurantes* craniotomiam vel facientes aliam operationem chirurgicam occisivam fetus in utero matris; nec *impedientes* fecundationem, etsi per eiectionem seminis statim post habitam copulam; nec *accelerantes* partum.

Abortus, de quo, est: « eiectio fetus humani immaturi »; et non dicitur *animati*; satis est ut fetus sit *humanus* et immaturus, quaestione de tempore animationis relicta. Iamvero quilibet fetus hominis, si vivit, est *humanus;* unde *humanus* est fetus inde a facta conceptione, et ideo inde a conceptione dari potest delictum procurati abortus. *Immaturus* autem dicitur ille fetus, qui in luce positus nequit vivere; et talis habetur infra septimum mensem. — *Eiectio* opponitur *egressioni*, quae est naturalis, spontanea.

Acceleratio partus plane distinguenda est a procuratione abortus; illa enim datur quando educitur fetus maturus. Quare a septimo mense deinceps non datur locus *procurationi* abortus.

Craniotomiae nomine heic veniret quaelibet operatio chirurgica, qua fetus occiditur et conscinditur *intra uterum* maternum, quocumque tempore fiat, quamvis saepius adhibeatur, cum transactis pluribus mensibus, haud facilis fieret abortus. Craniotomia est absolute mala nec licet unquam; eam tamen censura inurere Ecclesia prudenter omisit. *D' Annib.* n. 161; *Bucceroni* n. 81; *Cappello,* n. 132; *Pighi,* n. 71; *Sole,* p. 318.

e. « *Effectu secuto* », scilicet ex causa a procurante posita; et sic delictum consummatur cum abortus secutus fuerit; et censura contrahetur eo momento, quo abortus contigerit.

Quid de illo, qui causam efficacem abortus posuit sciens et volens, sed antequam abortus sequatur, vera poenitentia conteritur? Si hic instituat confessionem ante abortum secutum, potest absolvi a peccato? Et aborto secuto, incurret in censuram? — Hic potest a peccato absolvi etiam a simplici confessario, quia censura nondum contracta est, et proinde, absente censura, peccatum non est reservatum. Aborto secuto, eum negat censura teneri antiquorum sententia, quae minus communis fortasse est, sed patronis praeclara: *S. Alph., D' Annib., Lehmkuhl.* Verum hodie, *exstante novo iure*, sententia contraria videtur corroborari. Canon enim 2209, § 5 dicit: « qui suum influxum in delictum patrandum.... non adduxerit plene, retractatio minuit sed non aufert culpabilitatem. » Poenitentia igitur, quae fiat, et retractatio influxus, quae, in casu, etsi ex natura rei (natura profecto ab agente praecognita) *non sit plena*, idest efficax, de se liberaret a censura delinquentem,

si lex haberet verba illa: *praesumpserit, scienter, temerario ausu* etc.: c. 2229, § 2; sed non liberat in casu, quia lex verbis illis similibusve caret: c. 2229, § 3. — Et *in foro externo* delinquens procul dubio sententiae declaratoriae obnoxius constituitur, cui legitime datae tenetur obedire in conscientia, quia non fundaretur in sola falsa praesumptione facti, sed utique in periculo universali.

Medici, obstetrices, quae in abortum procurandum cooperatae fuerint tali opera, *sine qua* abortus non esset secutus, tenentur censura? Tenentur, etsi praetendant se agere quasi ex officio; quia ad evitandam censuram non sufficit quaelibet causa imputabilitatem minuens, et quia non requiritur, ut abortus sit directe intentus ut ultimus finis; satis est ut sit *ipse directe intentus,* licet ut medium ad aliquid aliud.

Mandantes comprehenduntur in lege? Hi etiam ante ius novum communiter censebantur comprehendi. Theologi casum speciali attentione perpenderunt, et qui excusabant a censura matrem, procurantem sibi abortum plerumque ex mandato, censurae subiiciebant mandantes. Hodie mandantes obnoxii sunt censurae *sine dubio;* et non tantum ex praeexsistente theologorum sententia, sed potissimum ex iure noviter inducto; ut dictum est n. 10. — *Nec interea mater,* quae consentit sibi procurare abortum, excusabitur a censura; quia lex, ut dictum est, *praesumptionem* non postulat; excusatur si adducta fuerit ex metu gravi, cum non agatur de delicto, quod vergat in contemptum fidei vel religionis, aut in damnum publicum.

Instamus, quia si lex censurae non ita, sed aliter acciperetur, ipsa contra normam iuris legeretur, et multum fini ipsius legis derogaretur impraesentiarum, contra mentem Ecclesiae, et in damnum innocentium. Instamus, quia non desunt qui docent contrarium (cf. *Cappello* n. 133) et dicunt novum ius minime litem de mandante et mandatario dirimere (cf. *Cavigioli* n. 152).

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex actione physica aut morali, quae posita fuerit ab agente cum intentione abortus, et sine qua eiectio fetus humani immaturi ex utero materno non secuta fuisset.

2. **Causa non integra** esset: *a)* actio quantavis, si abortus non secutus fuerit; *b)* si ageretur de fetu certe iam mortuo; *c)* si iam transactus sit mensis septimus a conceptione; *d)* si abortus sequatur quidem ex causa agentis, sed sequatur praeter intentionem ipsius agentis; *e)* si agatur de occisione fetus in utero matris per operationem

aliquam chirurgicam ; *f)* si dubium intercedat, sive iuris sive facti.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, *mater, mandantes, cooperatores positivi et necessarii,* cuiusmodi solent esse medici et obstetrices.

Adn. a. *Abortus* dicitur *fetalis,* si supra tertium et infra septimum mensem a conceptione evenit; *ovalis,* si infra tertium. Primo tempore post copulam actiones sunt contra feturam, quae interrumpatur et perraro dabitur censura ob dubium.

b. *Clericus* tanto crimine inquinatus per sententiam deponi iubetur.

51. *Quid de quinta, quae est in religiosum apostatam a religione?*

Can. 2385. Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam.

Declaratio. a. *Excommunicatione* plectitur violatio canonum, quae obligationes proprias status religiosi decernunt, praesertim vero c. 593.

b. Ius accipiendum est de solum *viris,* non autem de *mulieribus;* quia censura reservatur *Superiori maiori,* et sermo est de religione *laicali,* quae opponitur *clericali,* quae est virorum; in moniales datur alia censura, de qua c. 2342, § 3.

c. « *Apostata a religione* dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat » : c. 644, § 1.

« *Malitiosus animus,* de quo in § 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit » : c. 644, § 2.

« *Fugitivus* est, qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi » : c. 644, § 3. — Hic igitur, elapso mense, *praesumitur* apostata, ideoque obnoxius est censurae.

d. *Quae religio sit clericalis* et quae *laicalis,* quaenam *ex-*

empta, quaenam vero non, fac colligas ex n. 44. Item *Superiores maiores* noveris ex n. 6.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est ex *apostasia* a religione, quae est ex discessu illegitimo a domo post professionem perpetuam et cum animo non amplius redeundi.

2. **Causa non integra** est ex sola *fuga* a religione, idest ex illegitimo discessu a domo religiosa cum animo postea redeundi ; item ex discessu illegitimo cum animo non redeundi, qui fiat ante professionem perpetuam.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, solum religiosi *apostatae*.

4. **Non obnoxii** sunt religiosi fugitivi, saltem primo fugae mense ; non novitii ; non qui religiosi sunt ex votis temporariis ; nunquam religiosae.

Adn. a. *Apostata praeterea* « ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus, et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum » : c. 2385.

b. « *Professus a votis temporariis,* expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere » : c. 637. — Nulla persona admitti potest ad professionem perpetuam, nisi post expletum vicesimum primum aetatis annum : c. 573, simulque post novitiatum validum et exactam professionem temporariam : c. 572, § 1, 3°, § 2 ; et invalida est professio, quae non fiat libere, sed coacte : c. 572, § 1, 4°. *Et nihilo minus* religiosus etiam professus a votis perpetuis potest *legitime* egredi a religione per impetratum saecularizationis indultum a pia Matre Ecclesia, quod particulariter dicitur memorato canone 638. — *Igitur professus sollemniter merito ab Ecclesia poenis coercetur, si apostata fiat.*

52. *Quid de sexta, quae est in delictum iniiti matrimonii, professione votorum simplicium perpetuorum obstante?*

Professos aut professas *votorum simplicium perpetuorum* tam in Ordinibus quam in Congregationibus, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata : c. 2388,

Declaratio. a. *Excommunicatione* plectitur violatio canonis 1058, § 1, quo *votum simplex* virginitatis, inter alia, constituitur impedimentum *impediens* matrimonium.

b. « *Professos votorum perpetuorum* » ; ergo censuram effugiunt, qui contraherent cum impedimento *impediente* votorum temporariorum, sive in Ordine sint sive in Congregatione. Et haec vota ad triennium valitura professioni perpetuae sunt semper de novo iure praemittenda : c. 574, § 1.

c. « *Professos votorum simplicium* » ; professi votorum *sollemnium* impedimento *dirimente* detinentur, et in eos, matrimonium etiam solum civile attentantes, est excommunicatio Sedi Apostolicae reservata : cf. n. 64.

d. « *Praesumentes* ». *Praesumptio* praedicatur *de iis*, qui cum persona religiosa contrahunt. Sed pro mea opinione ex iure nihil prohibet, quominus praesumptio accipiatur etiam *de persona religiosa* contrahente. Unde contrahentes cum persona religiosa a censura certe excusantur ex ignorantia etiam crassa aut ex causis imputabilitatem minuentibus, de quibus n. 31, 3° ; sed etiam persona religiosa nobis videretur excusari iisdem causis imputabilitatem minuentibus.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est : ex inito matrimonio ecclesiastico sive actu civili cum religioso vel religiosa professa votorum simplicium perpetuorum antequam S. Poenitentiaria dispensaverit super impedimento impediente : c. 258.

2. **Causa non integra** est : *a*) si agatur de votis temporariis ; *b*) si matrimonium, sive canonicum sive civile, non fuerit valide initum ; *c*) si ignorantia crassa seu supina intercesserit, sive iuris, sive facti ; vel alia causa imputabilitatem minuens. — Idque certum est pro contrahentibus cum persona religiosa ; sed saltem probabile nobis videtur etiam pro contrahente persona religiosa. — *Causa* autem huiusmodi eam tantum partem a censura excusabit, quae eamdem causam habuerit excusantem.

3. **Obnoxii** sunt censurae, ex integra causa, contrahentes professi, professae et contrahentes cum eis.

4. **Non obnoxii** sunt consulentes, ministri, testes ; quamvis enim ministri (puta parochus in matrimonio ecclesiastico et syndicus in matrimonio seu actu civili) talem

operam ad celebrationem matrimonii vel actus civilis conferant, sine qua delictum non fieret ideoque viderentur obnoxii excommunicationi, tamen excusantur ipsa lege censurae, quae *praesumptionem* postulat.

Adn. a. Religiosi contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile, ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi : c. 646, § 1, 3.°

b. « *Ordinario reservata* » ita explicatur n. 135 cl. *Cappello* : « *proprio Superiori maiori,* si agatur de religione clericali exempta ; *Ordinario* loci, si agatur de religione clericali non exempta, aut de laicali, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani ». Sed ius non distinguit, et censura dicitur reservata *Ordinario,* unde censemus posse Ordinarium loci absolvere in suo territorio etiam illum excommunicatum, qui est e religione clericali exempta.

Art. IV. - *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae simplici modo.*

53. *Quot sint, et quid generatim de illis tenendum.*

R.° **Sunt tredecim :** et ab eis absolvere potest Ordinarius quilibet, si casus sit *occultus,* nec non qui ab Apostolica Sede impetraverint facultatem *generalem* absolvendi a reservatis Sedi Apostolicae. *Cardinales* autem ab eis in confessione absolvere possunt ubique terrarum quoslibet poenitentes etiam religiosos : c. 239.

2.° **Simplex confessarius :** *a*) *urgente mortis periculo* potest ab eis absolvere de iure ; nec est poenitenti obligatio recurrendi ; cf. n. 60, 1° ; *b*) *in casibus urgentioribus* item valet absolvere, sed tenetur prius imponere poenitenti onus recurrendi sub poena reincidentiae et standi mandatis superventuris ; *c*) periculo mortis et casibus urgentioribus remotis, confessarius simplex nequit *sciens* absolvere, nisi de facultate sibi concessa ; sed tamen valide absolvit, si ignorans reservationem a peccato et a censura absolvit.

3.° **Qui** communi consilio delinquendi simul physice concurrunt in delictum ; **mandantes : et qui** alium etiam

impuberem ad consummationem delicti tali inducunt influxu, sine quo delictum commissum non fuisset, censuris subiiciendi sunt, licet in lege non nominentur.

54. *Quid de prima, quae est in facientes quaestum ex indulgentiis?*

Can. 2327. Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata.

Declaratio a. *Ius vetus*: « quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus », et plectebat episcopis inferiores. *Ius novum,* consultius pro temporibus nostris, ad unum plane delictum determinatur, et episcopos etiam percellit: c. 2227, § 2.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio can. 727, ita tamen ut censura teneat delinquentem, etiamsi malitia simoniae propria abfuerit.

c. « *Quaestum facientes* » dicuntur qui *concedunt,* qui *publicant,* qui *publicari mandant* indulgentias, sive veras, sive falsas, *si tamen* ex tali *concessione,* vel *publicatione,* vel *mandato* publicationis vere pretium aliquod percipiant, cuiusmodi est quodlibet lucrum in quantitate materiae gravis, cum sint concedendae gratis. Nec intentio, quae habeatur, impendendi lucrum ad opus bonum, a censura excusat: Conc. Trid. sess. XXI de ref. c. 9; Const. *Quam plenum* S. Pii V.

Unde: 1. **Materia integra** censurae est ex acceptione pretii seu lucri, ad materiam *absolute* gravem pertingentis, idest pertingentis ad centum (olim, nostris autem diebus ad quadringentas saltem) libellas seu francos, propter concessionem, publicationem, mandatum publicationis indulgentiarum, sive sint verae sive falsae, licet pretium seu lucrum captetur ad finem pium, sive per se quis agat, sive per alium.

2. **Obnoxii sunt** censurae, ex integra causa, delinquentes, Episcopis non exceptis, de regula generali (n. 9).

Adn. *Ignorantia vincibilis* a censura excusabit, sed non ignorantia *supina.* — « Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur » : c. 924, § 2.

55. *Quid de secunda, quae est in dantes nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis?*

Can. 2335. Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

Declaratio. a. *Ius vetus*: « nomen dantes sectae massonicae, aut carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem *qualemcumque praestantes;* earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denunciaverint ». *Ius novum* igitur est vetus abbreviatum et emendatum, quod prudenter praeterit « *qualemcumque favorem praestantes,* et *non denuntiantes* », sive ut vigeat norma can. 2209, sive ne latius censura pateat; etenim qui favorem praestant, saltem aliqualem, heu quot sunt! — *Denuntiatio* vero hodie parum omnino videtur conferre ad bonum, seu ad legis finem; ideoque etiam, forte, non urgetur censura.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis divinae et naturalis, speciatim vero quarti praecepti Decalogi.

c. « *Nomen dantes sectae massonicae* » sunt, qui *scienter* se *tali sectae* adscribunt quocumque formali adscriptionis ritu. — Et satis est ut quis sciat, sectam, cui se adscribit, esse *massonicam;* non requiritur, ut sciat *sectam machinari contra* Ecclesiam; ius enim id non requirit ad consummationem delicti; unde *bona fides* circa fines sectae massonicae eum, qui legem et censuram noverit, a censura non excusat.

d. « *Nomen dantes* », dicendi sunt illi, qui sectis huiusmodi primum se adscripserint, cum ignorantia et bona fide, postea vero, veritate comperta, eisdem sectis addicti remanent sponte, nec recedunt, cum possent citra gravissimum malum sibi eventurum. Unde sequitur, ut qui ignorans ita egerit, re comperta, tenetur discedere a secta quamprimum potuerit; secus peccat et in censuram incidit, nisi a tali obligatione excusetur ob gravissimum incommodum a discessu secuturum, quo imminente potest quis, obligatione suae satisfacturus, interea materialiter nonem datum sustinere et tamen absolvi: *Instr. S. Off.* 10 maii 1884.

e. « *Aliisve eiusdem generis associationibus* », quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur. Hic profecto necesse est ad censuram, ut qui se adscribit alicui sectae huius-

modi, noverit eam *machinari vel* contra Ecclesiam, *vel* contra *legitimam* civilem potestatem, quamlibet, sive propriae reipublicae sive alienae. Huiusmodi sane sunt sectae: *Nihilisticae, Anarchicae* et *Fenianorum:* S. Off. 12 ian. 1970, etc.

« *Machinantur* ». Ex Instr. S. Off. 10 maii 1884 *machinari* dicitur secta, quae malum agit *ex praefinito fine, statutis occultis et occultis membris seu ducibus vinculo sociali unitis,* et si iuramentum secreti servandi a suis asseclis exegerit, et si non exegerit. Cf. *Bucceroni,* II, 1186. *Machinari* igitur importat *clandestinitatem* et excludit *manifestationem* saltem quod spectat ad omnia supradicta; et ideo *ius novum* prae *veteri* emendatum supra diximus. Sed inde sequitur, ut societas, quae contra Ecclesiam vel legitimam civilem potestatem ageret *palam,* ex publicato fine, statutis et membris publicis seu notis, non esset societas quae *machinatur;* sequitur, ut censurae non subiiciantur pro nostra opinione qui nomen daret societatibus, quae sunt: *Biblicae, Neoprotestanticae; Veterum Catholicorum; Socialisticae; Clerico-liberales,* et aliae id genus. — Diximus *pro nostra opinione;* novimus enim vexatam quaestionem *olim* fuisse, « num societates *socialistae, biblicae, clerico-liberales, neo-protestanticae et veterum catholicorum* sub censura prohibitae sint necne »: *Cappello,* p. 102; nec illi nostra opinio debet quidquam derogare. Ex recentioribus plerique silent; *Cavigioli* (n. 121) adhaeret iis, qui negant censuram has societates attingere; *Cappello* (l. c.) et *Sole,* p. 269 iis qui affirmant. *Practice* ergo, ob exstantem controversiam confessarius nequit delinquentes huiusmodi ut censura hac innodatos habere. Ceterum pro nostra opinione post novum ius nulla esse deberet controversia, non solum quia facta est omissio vocum *palam* et *clandestine,* remanente sola significatione vocis *machinari,* ut dictum est, sed etiam quia illae aliae sectae obnoxiae dicuntur censurae, quae *fuerint eiusdem generis,* profecto ac *secta massonica,* cuius nota particularis non est *ex fine,* sed ex suipsius *natura,* quae est *occulta.* — Praeterea et *ius vetus* huic interpretationi favet. — Haec enim censura originem sumit ex Bulla « *Eminenti* » edita a *Clemente XII* a. 1738; renovatur severius a *Pio VII* in Bulla « *Ecclesiam a Iesu Christo* » edita a. 1821; eamque alii Pontifices protulerunt decursu temporum malorum: *Benedictus XIV,* Const. « Providas »: edita a. 1751, et confirmata a *Pio VIII; Leo XII,* Const. « Quo graviora », a. 1826; *Pius VIII,* Litt. enc. « Traditi », a. 1829; *Gregorius XVI,* Const. « Inter »; *Pius IX,* in Encycl. « Qui pluribus » a. 1846 et Const. « Apostolicae Sedis »; *Leo XIII,* Const. « Humanum genus » a.1884. Sed tenor censurae colligendus est potissimum ex Bullis *Clementis XII* et *Pii VII;* nam ceteri Romani Pontifices eam integram

et immutatam ex his Bullis retinuerunt et confirmarunt; Constitutio « Apostolicae Sedis » eamdem non mutavit substantialiter, dum legi censurae nonnisi *praesumptionem* detraxit et denuntiandos dixit solum coryphaeos et duces, non vero *omnes* quos constaret nomen dedisse; Leo XIII tandem loquitur de sectis quae « *re congruunt cum secta Massonum,* quae cuiusdam est instar centri, unde abeunt et redeunt omnes ». Iamvero e citatis Benedicti XII et Pii VII Bullis facile colligere est agi de sectis *occultis,* et *manifestationem* aut *clandestinitatem* attendi solum quoad *favorem*, *auxilium* etc. praestantes. Praeterea contra eos, qui ad sectas Biblicas, Neo-protestanticas, Veterum Catholicorum, Clerico-liberalium etc. convolant nonne datur alia censura, videlicet *haereticorum, schismaticorum, apostatarum?*

f. « *Contra Ecclesiam* », idest contra societatem Ecclesiae, eiusque legitimam potestatem et societatis ac potestatis constitutionem; quod etiam contra eius doctrinam et personas ecclesiasticas, qua tales, ut dicunt *Cappello* p. 102 et *Sole* p. 269 cum *Card. Lega,* non videtur, sive ex historia censurae, sive ex contextu canonis, sive ex collatione huius canonis cum ceteris qui tuentur doctrinam et personas, sive natura legis odiosae, quae strictam interpretationem accipit.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est; *a)* ex peracta suipsius rituali adscriptione seu addictione sectae massonicae; *b)* etiam ex sui peracta rituali adscriptione seu addictione alicui sectae, quae contra Ecclesiam vel legitimam civilem potestatem quamlibet machinetur; *c)* atque etiam ex voluntaria et imputabili permansione in iisdem sectis, natura earum satis comperta. — A censura autem ignorantia vincibilis excusat, non excusat supina.

2. **Obnoxii** sunt excommunicationi, ex integra causa: *a)* nomen sectis dantes cum gravi imputabilitate; *b)* et nomen in sectis retinentes cum gravi imputabilitate delicti; *c)* nomen dantes societatibus *crematoriis* obnoxii sunt huic censurae ex declaratione S. U. I. 19 maii 1886.

Adn. a. Societates: *Lega di insegnamento; Dante Alighieri; Camera del lavoro, Federazioni* ecc.; *Umanitaria; Fascio democratico; Corda fratres* habeantur saltem ut suspectae. Societates *clerico-liberales, Biblicae* etc. sunt damnatae: Const. *Qui pluribus* Pii IX, Syllab. § 138. Et ex decr. S. Off. 17 iul. 1919 *Societates theosophicae,* ita damnatae sunt ut prohibitum

sit non solum dare illis nomen, sed etiam « earum conventibus interesse, ipsarum libros, ephemerides, diaria scripta legere. Cui addenda est societas, vulgo dicta: *Portatrici di lampade,* cum sua ephemeride: « *Cordelia* ». Sectis huiusmodi adhaerentes excommunicationi haereticorum sunt obnoxii. *Impraesentiarum* vero habeantur *saltem* ut suspectae societates Y. M. C. A., et Y. W. C. A. (*associazione cristiana dei giovani, associazione cristiana delle giovani*) et quae sunt ab eis, quasi partes seu filiae, cuiusmodi est inter nos « *Federazione italiana studenti per la cultura religiosa* »; nec a catholicis recipi ullo modo possunt earum ephemerides; e. g. « *Fede e Vita* »; « *Bilychnis* ».

b. « **Clerici,** qui delictum commiserint, de quo in can. 2334, 2335, praeter poenas citatis canonibus statutas, poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; *religiosi* autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur »: c. 2336, § 1. — Insuper *clerici et religiosi* nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent S. Congregationi S. Officii »: can. cit. § 2.

c. Civiles potestates ex hac una excommunicatione dignoscere possent, nisi tenebris et furore potestatum infernalium abreptae atque invasae essent, quam falso et stulte et damnose Ecclesiam habeant ut sibi contrariam et inimicam.

d. De Socialistarum coetibus Theologi docent: *a) Sub gravi* prohiberi, quominus fideles se illis aggregent aut favorem praestent; *b) Eos,* qui principiis Socialistarum sunt imbuti, atheismo nempe et materialismo, obnoxios esse excommunicationi illatae haereticis et apostatis, (cf. n. 68); *c)* Num fideles, qui Socialismo coadunantur, sint immunes a censura huiusmodi, non convenit inter Theologos; plerique eos excusant; cf. *Ferreres,* II, n. 125; *Oietti,* v. Secta; *Wermeerch, Laurentius, Lehmkuhl.* Nemo sane non novit, quam saepe fuerit Socialismus damnatus: encyclicis *Qui pluribus,* 9 nov. 1846; *Noscitis,* 8 dec. 1849; *Singulari quadam,* 9 dec. 1854; *Quanto conficiamur,* 10 aug. 1863, et recentioribus actibus Sanctae Sedis. Nemo non videt, quanta mala sequantur ex coetibus Socialistarum; quam ob rem fideles a coetibus huiusmodi sunt absterrendi. — *An confessarius* possit unquam tolerare, ut poenitens coetui huiusmodi nomen det aut datum conservet? Videtur affirmandum, si talis adhaesio sit solum *materialis,* sit ratione gravis incommodi seu damni vitandi, sit quamdiu tale incommodum perduraverit, sit praeterea *secluso* scandalo seu lapsu, *seclusa* omni collaboratione ad incrementum societatis ipsius, *secluso* omni interventu ad socialistarum allocutiones seu contiones (*conferenze*) et comitia.

e. Confessarius poenitentem addictum sectis damnatis generatim adigat ut ille nuntium sectae mittat et omnem cum sectariis communicationem abrumpat; idque ab eo omnino exigat, si poenitens non sit bonae fidei et non excusetur interea a gravissimo incommodo secuturo; si secus, agat cum eo ut dictum est supra.

Poenitens sectae libros, manuscripta et signa, si quae habeat, confessario tradat, transmittenda Ordinario, vel saltem ipse destruat omnino.

56. *Quid de tertia, quae est in praesumentes absolvere a reservatis?*

Can. 2338, § 1. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo modo vel speciali modo Apostolicae Sedi reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

Declaratio. a. *Ius vetus:* « praesumentes absolvere a reservatis speciali modo extra mortis periculum ». *Ius novum*, extensum est etiam ad reservata *specialissimo modo* (ut consequens est, *a minori* ad maius), reiicit illud *extra mortis* periculum, sane ut concordet cum altero iure, nempe de facultatibus, quae *in casibus urgentioribus* datae sunt etiam simplici confessario.

b. « *Absolvere praesumentes* »: ideo a censura excusant ignorantia supina non solum, sed etiam causae imputabilitatem minuentes; sed oportet omnino, ut *absolutio* data fuerit; sola auditio confessionis aut fictio absolutionis non satis esset ad censuram. *D'Annib.* n. 154.

c. « *Sine debita facultate* »; proinde extra mortis periculum et casus canonica urgentiores.

d. « *Ab excommunicatione l. s. specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatae* », ergo non datur censura si excommunicatio est reservata S. Sedi simplici modo, nec si est quoque modo reservata Ordinario, nec si est ab homine, licet absolutio scienter data sit invalida et illicita; nec si reservatio S. Sedi speciali vel specialissimo modo sit dubia; nec si absolutio data sit solis verbis, non voluntate: *D'Annib.* n. 154.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex absolutione, quae a sciente et volente data sit sine debita facultate super excommunicatione latae sententiae et specialissimo vel speciali modo reservata Apostolicae Sedi.

2. **Causa non integra** est si agatur de qualibet alia censura vel de qualibet alia reservatione.

3. **Obnoxii sunt** censurae ex integra causa simplices confessarii, sacerdotes et confessarii per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam excommunicati, aut interdicti, aut suspensi *ab officio*, vel a *iurisdictione*, vel a *ministerio confessionis*.

4. **Non obnoxii** sunt laici, subdiaconus, diaconus, qui se confessarios fingerent et absolutionem attentarent.

Adn. Si confessarius simplex, *ignorans* reservationem, poenitentem *a censura et a peccato* absolvat, absolutio censurae valet, si est reservata *speciali modo;* non valet, si est reservata modo *specialissimo:* c. 2249, § 2. — Et *reservatio*, si est positive dubia, est nulla. *Iurisdictio* autem confessarii, si est positive probabilis, suppletur ab Ecclesia: can. 209.

57. *Quid de quarta, quae est contra impendentes auxilium excommunicato vitando, et in clericos recipientes illum in divinis?*

Can. 2338, § 2. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

Declaratio. a. *Ius vetus* « communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei impendendo auxilium vel favorem. — Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes »; *ius novum* igitur potius forma quam substantia differt, quatenus declarat quod « communicare in crimine criminoso » significat « impendere auxilium vel favorem in delicto, propter quod excommunicatus fuit ».

b. *Excommunicatione* plectitur violatio canonum 2259, § 2; 2267; nec non violatio legis naturalis et positivae, complicitatem formalem prohibentis.

c. « *Impendentes quodvis auxilium vel favorem* »; igitur quotquot, sive clerici, sive laici, sive extranei, sive consanguinei,

sive domini, sive servi, sive superiores, sive subditi aliquod alicuius momenti auxilium *ex opera,* vel favorem *ex verbis, auctoritate* etc., de facto conferunt vitando. Comprehendendi sunt omnes, etiam qui cum excommunicato coniuncti sint sanguine, reverentia etc., quia agitur de formali cooperatione ad malum; item comprehendendi sunt omnes licet contumacia vitandi perduraret etiam sine tali auxilio aut favore, ut innuitur per illud « *quodlibet* » ; satis est ut in praestatione auxilii vel favoris detur gravitas materiae et peccati. Putamus autem dari censuram etiamsi auxilium vitando sequatur ex *consilio,* quod illi detur.

d. « *Excommunicato vitando* ». In posterum quis sit *vitandus* cf. n. 36. *De iure* vitandus est ipso facto qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit : c. 2343, § 1, 1.°

e. « *In delicto propter quod excommunicatus fuerit* » ; hoc est in crimine *criminoso,* ut olim dicebatur. Ergo non quando *parentes* recipiant et alant *filium* vitandum, non quando *subditi* defendant ab insidiis inimicorum *dominum* vitandum, non quando quis alium in crimine *patrando* adiuvet, propter quod *sequetur* excommunicatio; sed solum quando quis alicui, *iam excommunicato vitando,* auxilium vel favorem impendet, ut *in patrato delicto* valeat persistere et a contumacia ne desinat; quae est, ut supra innuimus, formalis cooperatio ad malum, ideoque semper et omnibus illicita, et censura semper plectitur.

f. « *Itemque clerici scienter et sponte* communicantes » ; igitur non laici, qui communicarent; nec *religiosi,* quia lex stricte est interpretanda. Praeterea lex *praesumptionem* postulat in hac parte ; unde a censura clericum aut Episcopum excusabunt ignorantia crassa et causae minuentes imputabilitatem, de quibus n. 31, 3.° — Quod attinet ad *Episcopos,* sunt qui (*Cappello* n. 108; *Pighi* n. 78) affirmant eos excusari a censura ; et si fontes iuris *antiqui* conferuntur, sententia eorum admittenda est; sed censemus canonem accipiendum esse ad normam iuris novi, quod dicit *Episcopos* excommunicationibus l. s. non subtrahendos: c. 2227 ; et nomine *clericorum* venire etiam *Episcopi :* c. 108, § 1. — Opinatur autem Cappello, quod religiosi etiam iure novo (c. 107; 108, § 1 ; 4° ; 491) contra ius vetus comprehendantur. At citati canones canonibus 2219, 2246 (qui sunt de poenis) infirmantur, si tamen ulla infirmatione indigent. Cl. *Sole* p. 275 ait censuram religiosos non afficere.

g. « *Communicantes in divinis* », scilicet officiis. Quae sint officia divina cf. p. 64, a. — « *Et ipsum in divinis officii recipientes* ». Recipientes sunt, quibus munus et officium est admittendi vel repellendi. Prima fronte censura videtur amplecti duo personarum genera, videlicet *communicantes et recipientes.* Et

reapse cum actus communicandi in divinis longe differat ab actu recipiendi ad officia divina, si nihil luminis afferret antiqua et communis interpretatio, ita esset tenendum, atque particulam *et* non coniunctivo modo, sed disiunctivo accipiendam. At concordia *novi* iuris cum veteri recentiore, scilicet Apostolicae Sedis, et concordia *veteris recentioris* cum *antiquiore,* scilicet canonis Clementis III ex cap. *Significavit,* nos monet ius novum interpretandum esse ad normam can. 6, 2°, hoc est « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus ». Iamvero probatorum auctorum interpretatio haec est, ut communicatio in divinis fiat vitandi receptione in divinis officiis agendis seu obeundis. Cf. *Bertapelle,* p. 251; *Cappello,* p. 105; *Bonacina,* disp. II, q. V; *Suarez,* disp. X, sect. II; *Sole,* p. 275.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a*) sive ex impenso qualicumque notabili auxilio vel favore excommunicato vitando, quo valeat persistere in suo delicto et perseverare in contumacia; *b*) sive ex voluntaria et omnino libera in divinis officiis cum vitando communicatione, quae fiat ex admissione seu receptione illius in divinis.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa *a*) omnes qui, sive laici, sive clerici, sive religiosi de facto exstiterint impendentes auxilium vel favorem; *b*) subdiaconi, diaconi, sacerdotes, Episcopi, clerici ex prima tonsura.

Adn. « *Posterior* excommunicatio, ait D' Annibale n. 152, non intellegitur nisi clericus sit uterque; nempe et is, qui excommunicatus fuit, et is, qui cum illo communicat; nam divina officia nemo potest obire, nisi sit clericus; et ad ea obeunda nemo potest illos admittere, nisi qui aliquam in Ecclesia potestatem habeat; adeoque nisi et ipse clericus sit ».

58. *Quid de quinta, quae est in eos, qui ausi fuerint ad iudicem laicum trahere non quidem proprium Ordinarium, sed alium Episcopum aut Abbatem vel Praelatum* nullius, *aut Superiorem maiorem religionum iuris pontificii?*

Can. 2341. Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere.... alium (*a proprio Ordinario*) Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem

vel Praelatum *nullius,* vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.... contrahit ipso facto.

Declaratio a. *Ius vetus*: « cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum... personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones ». Et hoc a theologis diversimode accipiebatur, pluribus indiguit declarationibus, *S. Off.* 23 ian. 1889, *Motu proprio* « Quamtavis » Pii X, oct. 1911, *Declar.* Pii X, 11 mart. 1912 ; et nihilominus incertum adhuc manebat. *Ius novum* plane determinatum est, sive quod attinet ad *trahentes*, sive quod spectat ad *tractas personas* ecclesiasticas.

Immo personae ecclesiasticae etiam distinguuntur *dignitate,* et singulae in propria constituuntur, ut videre est ex integro canone citato 2341*;* et *alia* poena plectuntur qui ad iudicem laicum ausi fuerit trahere Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Officiales maiores Curiae Romanae ob negotia proprii muneris, proprium Ordinarium : n. 75 ; *alia* qui Episcopum vel Abbatem etc., quae dicitur hoc numero ; *alia* demum qui personam inferiorem, privilegio fori fruentem : n. 49.

b. *Excommunicatione* sancitur praescriptum can. 120, quod integre referimus.

§ 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

§ 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati nullius, supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine *venia Sedis Apostolicae* ; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci, in quo causa peragitur ; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.

§ 3. Si nihilominus ab eo, qui nullam ante habuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore, a quo venia obtenta non fuit.

c. « *Si quis ausus fuerit* » ; ergo obnoxii sunt legi solum qui omnino voluntarie et libere agunt ; ignorantia crassa seu supina excusaret, itemque quaelibet causa ex minuentibus imputabilitatem, de quibus 31, 3.° — *Ideo* in lege non comprehenduntur qui agunt *ex officio ;* nec *lex censurae huius* accipi potest

de edentibus leges aut praecepta, qui alia censura plectuntur: n. 74. — Obnoxii sunt censurae solum « quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve », ut dicitur *Motu proprio* Pii X « *Quantavis* ».

d. « *Ad iudicem laicum* » profecto in qualibet causa, sive contentiosa, sive criminali, ut dicitur ipso canone 120.

Iudex conciliator (*il giudice conciliatore*) in iure italico aliquando verus iudex est, ad quem trahere personam privilegio fori fruentem profecto prohibemur sub censura. *Et talis* est in causa *contentiosa* (non enim illi *criminalis* competit), cuius quidem ipse sit iudex competens tum *ratione materiae*, quae non sit supra 100 libellas ; tum *ratione compellationis*, quae fiat ad normam art. 132-1334, 147 Codicis P. C. Tunc enim, qui convenitur, vere trahitur lege ad iudicialem sententiam inappellabilem subeundam, sub poena sententiae condemnatoriae in contumacia ad normam art. 440 C. P. C. — Ipse conciliator non *verus iudex* (ius dicens) sed solum *conciliator pacis*, ut olim, esset, si ageret ex iurisdictione *voluntaria*, quae ab eo exerceatur ad conciliandas partes, ex simplicis nuntio (*avviso*), ad normam art. 3, 4, 5 C. P. C. ; ex quo nulla datur obligatio se sistendi coram eo et proinde nulla *tractio*. Cf. *Civiltà Catt.* 10 marzo 1917 ; *Monit. eccl.* v. 23, p. 556 ; *Cappello*, n. 93.

e. « *Trahere* » ; idem est ac convenire, compellere ; sed cum dicitur *trahere ad iudicem* iam satis patet, hic agi de iudicio subeundo, *non de testimonio ferendo ;* quod alioquin iam satis nunc patet etiam ex c. 120, qui censura sancitur. Et sic vetus controversia dirimitur, de qua *Monit. eccl.* vol. 23, p. 593 ; *Ferreres*, Razón y Fe, f. 32, p. 100.

f. « *Episcopum alium* » *a proprio Ordinario* trahentis ad iudicem. Trahere ad iudicem laicum sine venia apostolica *proprium* Ordinarium est tale delictum, quod censetur inferius solum delicto trahendi Romanum Pontificem, simile delicto trahendi ad iudicem S. R. E. Cardinales.

g. « *Abbatem aut Praelatum nullius* » ; quinam sint vid. n. 6.

h. « *Nomine Superiorum maiorum* (veniunt) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis Monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior Provincialis eorumque vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes » : c. 488, 8.° — Et religiones sunt *iuris pontificii*, si approbationem vel saltem laudis decretum consecutae sunt : c. 488, 3.°

i. « *Contra praescriptum can. 120* » ; quod supra vidimus, et vi cuius venia *Sedis Apostolicae* prius impetranda est, si agatur

de Episcopo, Abbate vel Praelato *nullius*, Superiore religionis iuris pontificii *supremo*; venia vera *Ordinarii loci, in quo* causa peragitur, si agatur de *ceteris* Superioribus religionum iuris pontificii.

Delictum erit *consummatum*, et censura idcirco contracta, etiamsi iudex laicus sententiam tulerit personae ecclesiasticae faventem; immo etiamsi iudex laicus personam ecclesiasticam convocatam damnaverit in contumacia. Sed utique oportet, quod tractio seu convocatio legalis facta fuerit.

Unde: 1. **Causa integra** ceasurae est: *a*) ex voluntaria et libera traductione effectiva Episcopi alieni cuiuslibet sive residentialis sive titularis, vel alieni Abbatis aut Praelati *nullius* vel *supremi* Superioris religionis iuris pontificii ad iudicem laicum etiam infimum, cuiusmodi est iudex conciliator, ut dictum est supra, sive in causa contentiosa seu civili, sive in causa criminali seu poenali, *sine venia Apostolicae Sedis; b*) ex aequali compellatione effectiva aliorum Superiorum maiorum religionum iuris pontificii, qui episcopali dignitate non sint aucti, *sine venia Ordinarii loci*, in quo causa peragitur.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, quicumque privatorum (sive laici sint, sive religiosi, sive mares, sive feminae) delictum perpetraverint sine ulla causa imputabilitatem minuente et cum cognitione tum legis tum censurae, vel cum ignorantia affectata.

3. **Obnoxii non sunt hodie** quicumque privatorum ad iudicem traxerint personam ecclesiasticam vel religiosam privilegio canone fruentem, quae sit dignitate *inferior* Episcopo, Abbate seu Praelato nullius, Superiore maiore religionis exemptae.

Adn. a. *Delinquentes* huiusmodi, etsi hodie non, uti prius, excommunicatione plectantur, tamen non ideo ab omni poena liberi evadent. Etenim: «*clericus* quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, *laicus* autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur»: c. 2341.

b. *Excommunicatione* reservata Ap. Sedi speciali modo plectitur quicumque ad iudicem laicum traxerit *proprium* Ordinarium, etsi non auctus fuerit dignitate episcopali.

Qui vero personas ecclesiasticas vocarent *ut testes,* immunes sunt non solum a poenis, sed etiam a delicto.

59. *Quid de sexta, quae est in violantes clausuram regularium monialium ?*

Can. 2342. 1.° Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata, clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum.

Declaratio a. *Ius novum* differt a veteri solum ex eo, quod non retinet determinationem illam, quae erat in veteri: « *aetatis cuiuscumque* »: unde *impuberes* hodie, secus ac prius, a censura eximuntur.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio clausurae monialium, servandae de praescripto can. 597, §. 1.

c. « *Clausuram monialium violantes* ». Agitur de clausura *papali*, quae est *de iure* (c. 597, § 1) in domo regularium canonice constituta etiam non formata, scilicet monialibus infra senarium numerum coalescentibus; unde clausuram pergit etiam una tantummodo professa superstite, in qua stat nomen et ius totius universitatis: c. 102, § 2; et reviviscit si forte expulsa sodalitas eo regreditur. Et huiusmodi clausura papalis esse potest ex *privilegio* etiam domibus Congregationum; in quibus *de iure* (c. 604) alia datur clausura servanda, scilicet episcopalis; quam quidem Episcopus in adiunctis particularibus potest censuris munire: c. 604, § 3.

« *Lege clausurae papalis* afficitur tota domus, quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum (seu *religiosarum*) reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet »: c. 597. § 2. — Unde censura incurritur etiam ob ingressum illegitimum in hortum, seu viridarium, sive die, sive nocte, sive pacifice, sive hostiliter factum fuerit.

d. « *Violantes* » dicuntur, qui contra legem egerint; lex autem et relaxatur de iure pro aliquibus personis, et legitime relaxari potest a Superiore in quibusdam casibus. Accipe ius.

Can. 600. « Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis,

conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis, quae sequuntur:

1.° *Ordinario loci* aut *Superiori regulari,* monasterium monialium visitantibus, vel aliis Visitatoribus (*ad norman can. 512*) ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi duntaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;

2.° *Confessarius*, vel qui eius vices gerit, potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;

3.° *Possunt* clausuram ingredi *qui supremum actu* tenent populorum principatum eorumque *uxores* cum comitatu; itemque S. R. E. *Cardinales;*

4.° *Antistitae* est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis aliisque, quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur». — *Principatus* in casu significat dignitatem, auctoritatem et regimen eius, quem penes est summa rerum; et differt *a dominatione,* quia haec tyranni est, et vi metuque subiectos continet. Vid. *Forcellini*, hac voce. — Unde privilegio gaudent non solum imperatores, reges et principes, qui *actu* regnant, sed etiam Praesidentes rerum publicarum, qui *actu* praesunt.

e. « *Sine legitima licentia* », scilicet Sanctae Sedis: c. 600.

f. « *Ingrediendo* »; igitur ingressus vere effectus et requiritur ad consummationem delicti; hic autem satis est. Si quis ergo ingressum attentaverit, sed perficere non potuerit, censurae non est subiiciendus. Nec subiiciendus videtur, qui *super muros* horti constiterit, etsi hostiliter; nec qui ascenderit ab extra *super tectum ibique* manserit nec subter tectum descenderit; quia lex clausurae afficit quidem totam domum, sed nullus fit *ingressus in domum* seu locum clausurae; nec ille, qui non toto corpore, sed una parte corporis, e. g. uno pede, ingreditur.

« *Violantes ingrediendo* »; huiusmodi non sunt qui, licite ingressi, clausuram violaverint ibi illicite *permanendo.* — Episcopi, qui *illegitime* ingrediantur, si olim a censura excusari poterant ex aliquali sententia probabili, non ita hodie inspecto canone 600, 1.° et praesenti, quo *licentia* S. Sedis dicitur necessaria.

g. « *Introducentes* » sunt tum personae *externae,* quae aliquem illegitime intra ducunt vel immittunt vi, fraude, dolo, tum etiam personae *internae* privatae, quae illegitime aliquem intra ducant vel recipiant, cum non eis officium sit introducendi vel repellendi; profecto quoties libere egerint.

h. « *Admittentes* » sunt personae *internae*, quae quempiam illegitime introducant vel recipiant, cum illarum officium sit admittere et repellere. Sunt igitur *abbatissae*, *praefectae*, *ostiariae*, vel ipsarum *substitutae ;* profecto si libere egerint.

Retinentes illicite eum, qui est legitime ingressus, peccant, sed excommunicationem non contrahunt.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est : *a*) ex illicito ingressu personae puberis intra locum clausurae, sive domus sive horti sive viridarii reservati ; *b*) ex illicita introductione personae puberis ; *c*) ex illicita eiusdem admissione ad ingressum.

2. **Causa nulla esset** : *a*) si ageretur de personis privilegiatis recensitis in iure ; *b*) si ageretur de causis ipso iure excusantibus a lege, ut dictum est supra.

3. **Causa non integra** esset, si ageretur de ingressu, etsi violento, in collocutorium vel in templum vel in hospitium pro advenis ; aut si ageretur solum de consensu super muros horti aut tectum domus etc.

4. **Obnoxii sunt** censurae omnes, sive mares sive feminae sive laici sive religiosi sive Episcopi tam privatae personae, quam publicae, sive mandantes sive mandatarii, quia lex praesumptionem (qua mandatarii possent excusari) non postulat.

5. **Obnoxii non sunt** : *a*) *Impuberes* ; quamvis et hi contra legem peccent ; *b*) Cardinales S. R. Ecclesiae, Reges, Imperatores, Principes principatum actu tenentes ; Praesidentes rerum publicarum ; horum omnium uxores legitimae ; cum comitatu personarum, quas secum adduxerint ; hi enim omnes suo gaudent privilegio.

Adn. a. *Pighi* (n. 82) et *Cappello* (n. 112) putant censura innodari etiam admittentes et introducentes *impuberem ;* at non videtur, quia censura *eos* vetat introduci, *quos* ex ingressu obnoxios habet ; praeterea ius novum non casu fortuito omittit verba de *aetate,* quae habebantur in antiquo, quae leguntur in can. 600, et in 2° eiusdem canonis 2342. Legislator sicut declaravit, quod voluit, in 2°, ita declarare poterat etiam in 1°.

b. « Ad maiorem castitatis custodiam prohibetur sub gravi tum *clericis* tum laicis *frequens accessus* ad *colloquendum* cum

monialibus ad crates sine speciali facultate et sine rationabili ac manifesta causa, et ubi non adsit legitima consuetudo in contrarium. — Ista autem *frequentia* consistit in eo, quod quis tribus diebus continuis, aut quater in hebdomada, vel semel singulis mensibus per annum circiter, monasterium adit ». — Ita *Bucceroni*, II, n. 1189.

60. *Quid de septima, quae est in violantes clausuram regularium virorum?*

Can. 2342, 2.° Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva.

Declaratio a. *Ius novum* est prae *iure veteri* et clarius definitum et latius institutum. Vetus enim aiebat: « mulieres violantes Regularium clausuram et Superiores aliive eas admittentes ».

b. « *Excommunicatione* » plectitur violatio legis allatae n. 59. Et ex dictis illic fac colligas *ambitum* clausurae, *personas* privilegiatas, *personas* habentes ius *ingrediendi* in quibusdam casibus, vel ius *concedendi* veniam ingressus in casibus aliis praefinitis. — Hic specialia tantum notantur.

c. « *Mulieres violantes* »; censura non afficit viros sed solum mulieres, profecto puberes: c. 2230. *Moniales* afficiuntur? Si ita in iure antiquo, ita et nunc: c. 6, 3°; si non ita olim, nec hodie: c. 2219, § 3, 2246, § 2. Aliunde moniales e clausura exeuntes aequali excommunicatione puniuntur: c. 2342, 3.°

d. « *Superiores aliique, quicumque illi sint* »; idest, sive clerici sint, sive laici sive novitii, pertinentes ad domum ipsam vel non; intra sint, vel extra; privati sint, vel in auctoritate constituti, et cuiuscumque dignitatis.

e. « *Introducentes vel admittentes* » *eas*, profecto mulieres; *cuiuscumque aetatis;* ergo etiam *impuberes et infantes.* Immo etiam si ebriam, amentem, fatuam introduxerint; satis est, ut sexus feminini sit.

Unde: 1. Causa integra censurae est: *a*) ex violata clausura regularium virorum per voluntarium *ingressum*

illicitum mulieris puberis, etiamsi eadem hora nullus religiosus esset domi ; *b*) ex illicita *introductione* seu *admissione* feminae etiam impuberis et infantis, ebriae vel amentis ex parte cuiuslibet Superioris aut religiosi aut laici sive intra sive extra domum degentis.

2. **Causa non integra est :** *a*) Si non agatur de clausura papali ; *b*) si intercedat metus gravis, quia agitur de lege solum ecclesiastica ; *d*) si agatur de gravi necessitate, ex. g., ad impediendum incendium, aut alium periculum gravissimum.

3. **Obnoxiae sunt** excommunicationi, ex integra causa : *a*) feminae puberes ingredientes ; *b*) Superiores et alii quicumque, sive ad domum pertinentes, sive non, qui introduxerint vel admiserint.

4. **Obnoxii non sunt :** *a*) *viri ; b*) feminae *impuberes* ingredientes, introducentes ; *c*) « *uxores* eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu » : c. 598, § 2 ; *d*) *feminae,* quae *comitantur* personam privilegiatam, ut dictum est n. 59.

61. *Quid de octava, quae est moniales illegitime exeuntes e monasterio ?*

Can. 2342, § 3. Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601.

Declaratio. a. Praemittenda. *Praescriptum canonis* 601 est huiusmodi : « Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. — Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario ». — *De clausura* autem accipe ius.

Lege clausurae papalis afficitur tota domus, quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis ; *excluso* praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam *hospitio* pro advenis, si adsit, et *collocutorio,* quod quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet » : c. 597, § 2. Et « clausura monasterii monialium ita

circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum » : c. 602.

Igitur qualis egressus censura plectitur? Egressus *e clausura* vel *e monasterio?* Procul dubio monialis, egrediens e monasterio, egreditur etiam e loco praefinito clausurae; et si intrat publicum templum adnexum monasterio templive sacrarium vel aliam adnexam domum religiosam, egreditur e monasterio et censuram incurrit; item si conscendat arborem qua parte muros viridarii praetergrediatur, vel per fenestram extra domum se suspendat, vel super tectum monasterii stet sedens aut ambulans, quia ita etiam posita monialis est *extra* monasterium: S. C. EE. et RR. in *Comen.* 18 sept. 1609 et in *Lycien.* 16 sept. eiusdem anni, ut refert *Lucidi.* Sed quid, si exeat e clausura et nullo modo e monasterio simul? Peccat sane, sed non videtur innodari censura: *a*) quia Concil. Trid. sess. XXV, cap. 5 de Reg. dicit de *monasterio*: « Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus », etc.; *b*) quia S. Pius V Const. « *Decori* » (24 ian. 1570) loquitur de *monasterio:* « Volumus, sancimus, ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum aliarumque Monialium... a monasteriis praefatis exire » etc.; *c*) quia inter theologos est controversia de parvitate materiae in violatione clausurae, quam ob rem non constat quandonam peccatum sit grave ex sola violatione clausurae ex parte monialis remanentis in monasterio et intra fines clausurae se statim recipientis, unde non facile constat quandonam monialis egressa e clausura habenda sit ut excommunicata, eo magis quia lex *praesumptionem* non postulat; *d*) quia censura est in exeuntes contra praescriptum can. 601, ubi dicitur de egressu *e monasterio,* unde non nisi ea violatio clausurae censura plectitur, quae habetur ex monasterii egressu; et cum versemur in odiosis, quod minimum est, teneamus.

b. « *Moniales* » sunt, « religiosae votorum sollemnium » : c. 488, 7°; religiosae votorum simplicium tali nomine non comprehenduntur.

Controversia, quae legitur: utrum subiiciantur censurae moniales ex votis sollemnibus perpetuis, an etiam moniales ex votis *temporariis* in religione votorum *sollemnium, dirimitur ipso iure:* c. 572, § 2, 574, quo decernitur *professionem* ad triennium valituram, quae professioni perpetuae sollemni praemittenda est ad eius validitatem, esse *simplicem.* — Cl. *Sole* p. 289 affirmat hac censura teneri non solum « mulieres, quae ad normam can. 574, § 1 votorum simplicium professionem sollemnibus praemiserint, sed etiam adspirantes, quae, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur » : c. 540. — Hae omnes lege censurae tenentur certe, at non lege censurae, qua, ut legitur c. 488, 7°,

moniales sunt « religiosae votorum *sollemnium* », et de adspirantibus ipse cl. *Sole* nos expresse docet, p. 327, eas nec religiosas esse, quia ingressus in religionem fit per novitiatum. Praeterea vid. infra *adn.*

c. « *Illegitime exeuntes* », eo quod, ut dicitur can. 601, exeant « sine speciali Sanctae Sedis indulto », vel non urgente « casu imminentis periculi mortis, vel alius gravissimi mali » ; quod est intelligendum tum de tota domo tum etiam de singulis monialibus. — Et periculum pro tota communitate esse potest incendium, ruina domus, inundatio, incursus pessimorum hominum tempore perturbationum, pestis ; periculum vero personae potest dari ex necessaria et urgente operatione chirurgica, quae non nisi in nosocomio fieri possit. — Ceterum pro his casibus, si tempus suppetat, recurretur ad Ordinarium, qui prudentia sua necessitati consulat.

« *Illegitime exeuntes* » e monasterio etiam ad brevissimum tempus. Sed non illegitime *permanentes* extra monasterium, postquam *legitime* exierint.

Unde : 1. **Causa integra** censurae est ex egressu a monasterio, qui factus fuerit a sciente et volente sine legitima causa ; et *causa non integra* est ex sola clausura licet graviter violata per egressum a finibus eiusdem.

2. **Obnoxiae sunt** huic excommunicationi moniales ex professione sollemni perpetua ; non sunt obnoxiae professae simpliciter, etsi sint in Ordine et in clausura papali, multo minus novitiae et adspirantes ; nec religiosae professae, quae habeant clausuram episcopalem.

Adn. *Ad dubia :* « I. An puellae postulantes e monasteriis clausurae papali subiectis egredi possint, parentes vel notos invisendi gratia, aut alia de causa ? Et quatenus negative : II. Utrum ad huiusmodi egressum venia Apostolicae Sedis indigeant, an satis sit consensus Ordinarii » ? *S. Congregatio de Religiosis*, re mature perpensa, respondendum censuit die 7 nov. 1916 : Ad I. *Negative.* Ad II. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam. — *Quam ob rem* puellae postulantes, ut egredi valeant definitive seu in perpetuum venia nullius indigent, sicut liquet ; sed ut valeant egredi ad tempus seu cum intentione revertendi, venia Apostolicae Sedis indigent omnino.

62. *Quid de nona, quae est in praesumentes usurpare bona ecclesiastica ?*

Can. 2346. « Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire, ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integra restituerit, praedictum impedimentum removerit ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit ».

Declaratio. a. *Ius vetus,* aliud erat e Constitutione *Apostolicae Sedis,* quod excommunicatione R. P. speciali modo reservata defendebat bona et iura ecclesiastica, extra patrimonium R. Ecclesiae, pertinentia ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum ; et aliud erat ex Concilio Tridentino, defendens bona alia ecclesiastica *in genere,* excommunicatione simplici modo reservata. Praeterea *ius vetus* ita editum erat ut illi non essent obnoxii regulares. — *Ius novum* una eademque censura *omnia bona* ecclesiastica simul et *ab omnibus* defendit.

b. *Excommunicatione* plectitur non delictum *alienationis* bonorum ecclesiasticorum sine debita venia, quod punitur alia censura (n. 43), sed delictum *usurpationis* horum bonorum, quod est contra septimum Decalogi praeceptum et ius canonicum de administratione bonorum. — Hic defenduntur *bona ;* porro can. 2334 *iura* Ecclesiae Catholicae (cf. n. 74) ; can. 2343 *personae* (cf. n. 49, 76, 82) ; can. 2341 *privilegium* fori (cf. n. 58, 75) ; can. 2345 iura *Ecclesiae Romanae* (cf. n. 77).

c. « *Si quis* » ; ergo laicus, clericus, et etiam *regularis*, qui in iure veteri non comprehendebatur.

d. « *Bona ecclesiastica* ». Quaenam sint, dignoscatur a iure.

C. 1497, § 1. « Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiae *personam moralem* pertineant, sunt *bona ecclesiastica* ».

C. 99. « In Ecclesia, praeter personas physicas sunt etiam personae *morales,* publica auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria etc. ».

C. 100, § 1. « Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes *moralis personae* rationem habent ex ipsa ordinatione divina ; *ceterae* inferiores personae morales in Ecclesia *eam* sortiuntur sive *ex ipso iuris praescripto* sive *ex speciali eompetentis Superioris ecclesiastici concessione* data per formale decretum *ad finem religiosum vel caritativum* ».

C. 102, § 1. « Persona moralis, natura sua, perpetua est ; ex-

stinguitur tamen, si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit ».

Quam ob rem bona ecclesiastica sunt habenda non solum quae pertinent ad Ecclesiam Catholicam, ad Sedem Apostolicam, ad dioecesim, ad paroeciam, sed ad quamlibet personam *moralem*, quae *talis* sit in Ecclesia, ex hisce duobus constitutivis : *a*) ex institutione iuris communis aut ex concessione formaliter data per decretum Superioris ecclesiastici competentis ; *b*) ex fine religioso vel caritativo. — Sunt igitur bona ecclesiastica etiam ea, quae pertinent ad *Seminaria*, ad *religiones*, ad *Pias Uniones*, ad *Sodalitia*, ad *Confraternitates*, quae fuerint legitime constitutae. Et lege canonem 707 : « associationes fidelium, quae ad exercitium alicuius operis *pietatis* aut *caritatis* erectae sunt, nomine veniunt *piarum* unionum ; quae, si ad modum organici corporis sint constitutae, *sodalitia* audiunt. — Sodalitia vero in incrementum *quoque publici cultus* erecta, speciali nomine *confraternitates* appellantur ».

Praeterea bona ecclesiastica sunt etiam *Piae Fundationes*. Iamvero : « Nomine *piarum fundationum* significantur *bona temporalia* alicui *personae morali* in Ecclesia quoquo modo *data, cum onere* in *perpetuum* vel in *diuturnum tempus ex redditibus* annuis aliquas *Missas* celebrandi, *vel* alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, *aut* nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi » : c. 1544. Ergo comprehenduntur omnia legata ad finem religiosum vel caritativum fundata ex acceptatione facta a persona morali legitime, idest de consensu Ordinarii loci dato in scriptis : c. 1546.

e. « *Mobilia vel immmobilia* » : et de his vide Codicis articulos 413, 414, 415.

f. « *Cuiuslibet generis* »; ergo etiam si agatur de bonis *sacris*, et de bonis non *pretiosis ;* et sic dirimitur opinio illorum, qui ius vetus interpretabantur de bonis mobilibus *pretiosis*. — Profecto materia gravis, immo *notabilis* requiritur. (Alloc. Pii IX. 25 iul. 1875 ; S. Off. 8 iul. 1874).

g. « *In proprios usus convertere et usurpare* » : ergo non satis est, ut quis convertat bona in proprios usus ex commodato praesumpto aut ex furto ; sed necesse est, ut quis ea bona, sive quod ad earum dominium directum sive quod ad indirectum pertinet, auctoritate publica vel privata, immediata opera sua vel mediante opera aliena, sive in perpetuum sive ad tempus : *a*) occupet aut in commodum suum suorumve convertat ; *b*) a domino ; *c*) tamquam ad se pertinentia. — Et huiusmodi non sunt, qui bona ecclesiastica furantur aut destruunt ; nec qui ea alienant sine venia debita ; nec qui *usurpata ab aliis sibi illegitime habent.*

h. « *Aut impedire, ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur* ». Sane impediret et excommunicationi obnoxius esset qui dolo, calumnia egerit directe, ne quis fructus beneficii sui perciperet, vel ut iis spoliaretur a gubernio civili. — Item, qui dolo, tergiversatione iniusta impediret, ne fructus alicuius legati pii cederent personae morali, ad quam pertinent. Non censuerim amplius excommunicationi huic obnoxios, qui bona olim usurpata nunc emerent ab usurpatoribus : qui eadem bona acquirunt hereditate. Contradicit cl. *Sole* p. 307, ut constat, ait, « ex S. C. S. Officio quo dicitur : Minime dubitandum, quia ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. P. reservatam. Etenim *praescindendo a quaestione,* an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Const. *Ap. Sedis,* art. 11, nulli dubium esse potest, quin comprehendantur clarissima dispositione cap. II de Refor. sess. 22 Concil. Tridentini ». Sed responderi potest, quod censurae iamnunc non ex Concilio Tridentino, sed ex Codice sunt colligendae : c. 6, 5° ; et cum Sanctae Sedi nota esset *quaestio, a qua* citatum decretum *praescindit,* quare illam Codex non dirimit sicut dirempsit plures alias quas dirimere voluit ? Praeterea cl. *Sole* quomodo suam sententiam componit cum mutuatis a *D' Annibale* et *Bucceroni* praemissis huiusmodi ? « *Convertere seu impedire,* non utcumque, sed verius, iure usurpationis, quasi ad se pertinentia, secus enim illud *usurpare* frustra positum fuisset ; satis fuisset dicere *convertere vel impedire* ». — Certe non obnoxii sunt commodatarius, depositarius, conductor, administrator, qui iniuste retinent nec reddunt debitum.

i. « *Praesumpserit* » ; ergo a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.° — Igitur laicus oeconomus vel suboeconomus, qui impediat beneficiatum a percipiendis fructibus beneficii, si impediat ad normam legis civilis, ideoque ex officio, non est censurae obnoxius ; sed utique, si impedierit ipse ad arbitrium. — *Cavigioli* dicit hac censura teneri etiam oeconomos ex declaratione S. Poenit. 13 nov. 1863 ; sed illa declaratio, data quando lex censurae praesumptionem non exigebat, nunc ipsa lege censurae, praesumptionem exigente, aboletur.

« **l.** « *Excommunicationi* tandiu *subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit* » ; confessarius igitur hanc *conditionem* meminerit etiam in casibus urgentioribus ; nec poenitentes absolvat antequam bona, quae ex propria usurpatione habeant, restituant ei, ad quem pertinent, vel impedimentum ab eis positum tollant, *quando impraesentiarum possunt* bona restituere, impedimentum removere ; *promissio* resti-

tuendi, removendi (seria promissio) attendi poterit quando restitutio aut remotio fieri nequit hic et nunc.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est dupliciter; *a)* ex usurpatione seu conversione in proprium commodum suorumve, quae voluntarie et libere facta fuerit in materia gravi, immo non solum gravi, sed *notabili* de bonis ecclesiasticis quibuslibet, vel de eorum fructibus; *b)* ex impedimento voluntarie, libere et efficaciter posito, ne percipiantur fructus horum bonorum ab iis, ad quos pertinent, item in materia non solum gravi, sed *notabili.*

2. **Causa non integra** esset: *a)* si ageretur de furto, de praedatione, de destructione, de alienatione illicita; *b)* si ageretur de retentione talium bonorum, quae habeantur ex aliena usurpatione, quocumque modo habeantur.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, omnes delinquentes, sive laici, sive clerici, sive Episcopi, sive administratores, sive ipsi beneficiati, sive patroni; omnes cooperatores ex praestitis communi consilio et opera physica.

4. **Obnoxii non sunt** oeconomi regii, notarii, cooperatores secundarii, emptores fructuum naturalium publicae venditioni expositorum: S. Poenit. 5 aug. 1907.

Adn. Praeter censuram aliae poenae sunt de iure in *patronum et clericum* delinquentes. — « Si eiusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat; clericus vero, hoc delictum committens vel in illud consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur »: c. 2346.

63. *Quid de decima, quae est in delinquentes duelli causa?*

Can. 2351, § 1. Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4, duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut

favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservata.

§ 2. Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames.

Declaratio a. *Ius vetus* et *novum* concordant, sive quod ad substantiam sive quod ad formam pertinet.

b. *Excommunicatione* plectitur tum violatio quinti praecepti Decalogi, tum cooperatio ad tantum malum, quod diabolice sustinetur etiam impraesentiarum, verum signum stultitiae et feritatis.

c. « *Servato praescripto can. 1240, § 1, 4,* ». Praescriptum servandum huiusmodi est : « Ecclesiastica sepultura privantur, *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa*.... mortui in duello aut ex vulnere inde relato ».

d. « *Perpetrantes duellum* », proprie dictum, scilicet ; « singulare certamen letalibus armis, ex condictis loco, tempore et armis, privata auctoritate susceptum » ; sive fatale, ut dicunt, illud fuerit, sive non ; sive sollemne ex adhibitis patrinis, sive privatum ex patrinis omissis ; etiam duellum, sic dictum *academicum*, quod viget in Germania ; eorumque patrini : S. C. C. 9 aug. 1890. — *Perpetrari* dicitur delictum ; et *perpetratio* habetur ex delicto vere commisso, puta in casu, ex duello vere peracto.

e. « *Provocantes* », idest serio offerentes, etsi duellum non fuerit ex altera parte acceptatum. — In casu delictum est perpetratum ex sola facta provocatione.

f. « *Acceptantes* » serio, etsi postea duellum fuerit impeditum aut non secutum. — Et in casu delictum est perpetratum etiam ex sola acceptatione. — Sed acceptantes aut etiam provocantes *ficte*, idest sine voluntate ineundi duellum, puta si acceptent, provocent solum ad ignaviae notam hic et nunc vitandam, non videntur obnoxii fieri censurae, etsi peccent ratione scandali.

g. « *Quamlibet operam aut favorem praebentes* » ; unde non solum praebentes operam necessariam, sed etiam operam minus necessariam ad *duellum*, ut perpetretur ; sed censura aderit solum effectu secuto, idest *secuto duello*. — *Patrini* igitur ; *medici*, qui ex condicto cum duellantibus aut eorum patrinis duello adsistunt, vel in vicino loco versantur, etiam ex sola intentione citius finiendi pugnam, aut vulnera curandi : S. Off. 28 maii 1884 ; *confessarii* qui, item ex condicto, in propinquo loco consistunt ad ministerium suum duellantibus praestandum, si opus fuerit : S. Off. 28 mai 1884 ; *et qui* locum duelli praebent seu parant ;

et qui publicos custodes removent; *et qui* duellantes comitantur, animum eis addentes. — Videntur tamen excusari a censura: *aurigae publici*, qui duellantes ad locum condictum vehunt, ad quem duellantes secus aeque accederent; *magistri* artis gladiatoriae, qui duellantes doceant pro ratione artis suae, cum duellum iam pariter locum haberet; *publici venditores armorum*, a quibus duello pugnaturi arma quaeritaverint; quamvis et hi possint in casu peccare.

h. « *De industria spectantes* » sunt, qui scientes et volentes ad locum duelli accedunt et duello adsistunt ita ut ipsam pugnam praesentia sua acuant vel ornent vel iustificent; non sunt qui fortuito casu ad locum pervenerint et ex curiositate spectent iam duellantes, a quibus igitur nec attenduntur; nec qui, insciis duellantibus, spectarent duellum a longe vel de occulto loco, licet accesserint ad videndum.

i. « *Permittentes* », sunt personae sive publicae sive privatae, quarum venia in casu requiritur, et petitam veniam concedunt; unde permittunt.

l. « *Non prohibentes* » dicuntur, personae, quae ex officio seu obligatione propria, sive naturali (cuiusmodi est obligatio parentum), sive positiva (cuiusmodi est obligatio exsecutorum legis, ubi adsit lex prohibens), non impedierint, quantum ipsi moraliter potuerint, idest pro viribus extra eorum gravissimum incommodum. — Immo, ne quidquam fini tantae legis derogetur a nobis, « huic excommunicationi subiaceant civiles illae vel militares auctoritates, quae, cum possint, duellum minime impediunt. Domini temporales, ea non prohibentes in terris suis. Greg. XII. C. *Ad tollendum;* Clem. VIII. C. *Illius vices*; Bened. XIV. C. *Detestabile*; Reiffenst. l. 5, t. 14; Schmalt. l. 5, t. 14; Lugo, Resp. Mor. l. 2 d. 1, 2; Bonacina d. 2, q. 3. p. 48 ». Ita *Bucceroni* Inst. II, n. 1185.

m. « *Cuiuscumque dignitatis sint* »; profecto *perpetrantes* aut *provocantes*, aut *acceptantes*, aut de industria *spectantes*, aut *non prohibentes*.

n. « *Infamia* » ipso iure contrahitur solum a duellantibus et a patrinis, *duello secuto*. — Quid vero infamia sibi velit, vid. n. 144.

Unde, haec excommunicatio (quae a pluribus saeculis tanto honori est Ecclesiae, quanto dedecori est civili societati duellum) quam maxime patet.

Quaenam vero sit eiusdem causa integra et quinam eidem sint obnoxii, iam satis constat ex declaratione.

64. *Quid de decimaprima, quae est in attentantes matrimonium, cui obstat votum sollemne castitatis?*

Can. 2388. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5. — *Quod praescriptum* est huiusmodi: « Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus.... matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit ».

Declaratio a. *Ius vetus* idem fuit *ac novum,* potissimum a die 22 dec. 1880, qua S. Officium declaravit, censuram incurri etiam ob initum matrimonium solum civiliter.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis divinae, qua tenemur servare vota, et legis canonicae, qua impedimentum dirimens habetur tam ex suscepto Ordine: c. 1072, quam ex professione religiosa sollemni: c. 1073.

c. « *Contrahere praesumentes* »; igitur ignorantia etiam crassa seu supina, sive iuris, sive facti seu qualitatis personae, excusaret a censura; item quaelibet alia causa ex imputabilitatem minuentibus, de quibus n. 31, 3.° — *Praesumptio* requisitur ad actum; unde si quis bona fide contrahat et qualitatem compartis noscat post initum matrimonium, censura non temet ratione servatae cohabitationis: *D'Annib.* n. 157; *Bucceroni,* n. 78; *Sole,* p. 389.

d. « *Matrimonium* » ecclesiasticum; etsi invalidum sit ex hoc impedimento, vel etiam ex aliis de causis, nempe consanguinitatis, affinitatis, defectus formae substantialis: S. Off. 13 ian. 1892; unde etiam si nullum esset ex *simulato consensu;* quia, ut patet ex citato decreto S. Officii, non requitur ad consummationem delicti, ut matrimonium ineatur *per se* validum; praeterea « internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis »: c. 1086, § 1; unde censura, saltem quoadusque simulatio non probetur, in foro externo praesumenda esset; praeterea censura plectitur etiam solum actus civilis, qui sane non est matrimonium; et « in delicto, quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo

culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat »; c. 2209, § 2; nec aliud hic ex adiunctis apparet. — Cl. *Sole* p. 390 contradicit. « Et ratio est, ait, quia qui simulate ponit actum, videtur actum ponere, sed revera non ponit; et vis simulationis ea est, ut si valor actus positi, e. g., matrimonii, tantum ab ipsius voluntate penderet, validum matrimonium non contraheret ». Sed responderi potest, quod qui simulat *consensum* dumtaxat, non simulat *actum* matrimonii, quod revera celebrat ex tota celebrationis forma; nec referre videtur, quod simulationis vis invalidet actum, quia, ut patet ex citato decreto, validitas matrimonii non absolute attenditur; satis videtur, ut adsint ea adiuncta, ex quibus matrimonium attentatum et aliquo modo confectum fuisse colligatur. Nec nos absolute detinere debet sententia *D'Annibale*, quae *verum* consensum exigit; D' Annibale enim scripsit quando censura erat solum in praesumentes contrahere matrimonium ecclesiasticum, dum censura hodie est etiam in praesumentes contrahere actum civilis matrimonii. Nec magis nos movet aliud argumentum a cl. *Sole* adductum, videlicet: « quia censura fertur in illos, qui *praesumunt, audent, attentant* inire matrimonium, et *contrahentes simulate tales non sunt*, ipsos censemus hanc censuram effugere ». Lex censurae dicit simpliciter: *contrahere praesumentes;* sed, ni velimus arbitrio nostro derogare praescripto can. 2229, § 2, verbum illud *praesumentes* de plena cognitione iuris et facti et de plena simul deliberatione in delictum accipiendum est. Si secus, quam facile posset, qui voluerit, censuram effugere! Quod est certe contra Legislatoris mentem.

Procul dubio non dabitur censura, si in matrimonium contrahendum error *personae aut* metus *gravis* influxerit, profecto quia *causa* erroris vel metus tolleret *praesumptionem*, quae in lege censurae requiritur ad censuram incurrendam, non autem quia, ut dicunt alii minus recte, metus gravis obstaret *validitati* matrimonii.

e. « *Etiam civiliter tantum* »: ergo censura tenet etiam ex solo matrimonio, ut dicunt, civili; at non tenet ex cohabitatione concubinaria etiam publica seu notoria.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a*) tum ex inito praesumptuose matrimonio religioso, etsi invalido ex qualibet parte, in quo saltem una pars contrahens sit persona ligata Ordine Sacro aut professione religiosa sollemni; *b)* tum ex inito praesumptuose matrimonio civili, iuxta morem seu legem patriam, in quo saltem una pars contrahens sit persona sacra seu religiosa.

2. **Causa non integra** esset *a*) si ignorantia etiam crassa seu supina intercedat, sive censurae sive qualitatis personae, quae non fuerit ut sacra seu religiosa prius cognita; aut si causa una detur ex minuentibus imputabilitatem; *b*) aut si matrimonium civiliter contractum caruerit forma civili necessaria ad eiusdem validitatem.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a*) Constitutus in sacris ordinibus; *b*) Professus vel Professa a votis sollemnibus; *c*) Quicumque cum his personis contraxerit *canonice* quantumvis invalide, vel *civiliter* valide.

4. **Obnoxii non sunt** *a*) Constituti in minoribus ordinibus; *b*) Constituti in maioribus ordinibus seu in sacris, vel sollemniter Professi, si solum vivant in concubinatu, nullo matrimonio prius inito; *c*) Qui, quamvis sit de aliqua religione sollemni, tamen solum simpliciter est professus.

Adn. Quid, si persona *saecularis contraxerit cum religiosa aut cum sacerdote* ignorans *qualitatem compartis, eamque postea cognoscat?* — Pars innocens, re comperta, obnoxia fit censurae, si sponte commorata fuerit cum putatitio coniuge, nec discesserit ab eo, civili quoque matrimonio resoluto ex favore legis civilis. Quod ad nos licet Codex civilis italicus ad rem nihil dicat, tamen Iurisprudentia censet, errorem circa qualitatem sacerdotalem (et idcirco putamus etiam circa qualitatem religiosam personae, saltem ex professione sollemni) esse reducendum ad errorem personae, et proinde causam constitui sufficientem ad irritandum matrimonium civile. Cf. *Civiltà Cattolica* 7 ott. 1916, pag. 57.

65. *Quid de decimasecunda, quae est in perpetrantes simoniam?*

Can. 2392. Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis: 1.° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; 2.° Ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant; 3.° Si clerici sint, praeterea suspendantur.

Praescriptum canonis 729 est: « Firmis poenis in simoniacos iure statutis, contractus ipse simoniacus et, si

simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare:

1.° Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti;

2.° Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel parte eidem condonare ».

Declaratio. a. *Ius vetus:* « rei simoniae realis et confidentialis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices »; *ius novum magis* extenditur; comprehendit etiam *in officiis et dignitatibus; complices* ex communi consilio et opera, vel ex mandato vel ex tali influxu, sine quo delictum non fuisset patratum, afficit de regula generali, *et ceteros* complices de regula item generali eos liberos amandat, non enim explicite subiicit.

b *Excommunicatione* plectitur violatio primi praecepti Decalogi, quod in ius canonicum passim redundat.

c. *Simonia* alia est *iuris divini* et alia *iuris ecclesiastici.* — « Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem *intrinsece* spiritualem, ex. gr, Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias etc., vel rem temporalem, *rei spirituali adnexam*, *ita ut* res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum etc., *aut* res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex gr. consecratio in calicis consecrati venditione, *est simonia iuris divini.* — Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, *si id* ob periculum irreverentiae erga res spirituales *ab Ecclesia prohibeatur,* est simonia *iuris ecclesiastici* »: c. 727. — Simonia *iuris divini* mala est ipsa rerum natura; simonia iuris *ecclesiastici* mala est ex Ecclesiae prohibitione. *Cappello, Cavigioli* et *Sole* putant censuram plectere simoniam cuiusque iuris, quia lex censurae non distinguit. Mihi, ut primum dixi, videretur censuram esse solum in reos simoniae *iuris divini,* non propter rationem, quam dicit *Pighi,* scilicet quia in iure legitur: « delictum perpetrantes » ; sed potius eo quod lex poenalis strictam accipit interpretationem, et in iure antiquo simonia

iuris divini plectebatur, et non videtur quomodo dari possit simonia iuris ecclesiastici in *officiis, beneficiis* aut *dignitatibus* quae, quod ad renuntiationem, acceptionem etc. spectat, pendet a Superiore, tandem quia Legislator, qui dicit : « in *quibuslibet* officiis » etc., poterat etiam dicere : delictum perpetrantes simoniae *cuiuslibet* vel *utriusque* iuris.

d. *Simonia* a theologis multipliciter distinguitur ; et sic habetur : - 1) Simonia *interna ;* quae consistit in sola interna studiosa voluntate emendi etc. ; est peccatum ; sed non plectitur censurae poena, ex regula generali, qua solum peccatum *externum* poenis plectitur. - 2) Simonia *externa,* quando studiosa voluntas prodit in actionem aliquam externam ; et haec potest plecti censura, etsi actio sit occulta et mala voluntas ab aliis non satis fuerit percepta. - 3) *externa* autem erit: *a*) *mentalis,* si quis rem, cum studiosa voluntate emendi aut vendendi, alteri tradiderit, omni pacto, sive expresso sive tacito, secluso ; *b*) *conventionalis,* si pactum aliquod, expressum vel tacitum, prius intercesserit. - 4) Et *conventionalis* dicitur : *a*) *pura,* antequam pactum ex aliqua parte exsecutioni mandatum fuerit; *b*) *mixta,* postquam una pars illud exsecuta sit ; *c*) *realis,* cum utraque pars illud fuerit exsecuta. - 5) Simonia *confidentialis* hucusque nuncupata est, *conventionalis* illa, quam quis cum altero egerit in *beneficiis,* eique beneficium aliquod actu legitimo procuraverit, puta electione, praesentatione etc., cum pacto, expresse vel tacite, inito *privatim,* ut receptor beneficii suo tempore beneficium cedat seu resignet *procuranti* vel *alteri* personae *designatae,* aut *pensionem* solvat ex fructibus.

e. *Simonia confidentialis*, sicut quaelibet simonia conventionalis, etiam hodie plectitur censura, sicut prius. — Et accipe explicitum ius : « Tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant » : c. 1441. Et « praesentatio, labe simoniaca infecta, est ipso iure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit » : c. 1465, § 2. — *Praeterea :* « Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio etc. late accipiendae sunt pro qualibet *conventione, licet ad effectum non deducta* etiam tacita, in qua animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur » : c. 728. — Unde non videmus, quomodo *Cavigioli,* n. 147, dicere valeat simoniam confidentialem in historiam canonicam superioris aevi esse amandandam.

f. Sed « *non habetur simonia,* cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito ; item cum datur res tempo-

ralis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr., calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem »: c. 730. — Et lex generalis est, « ut in venditione aut permutatione rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur »: c. 1539, § 1.

g. « *Delictum perpetrantes* », ergo non *cogitantes, exoptantes* simoniam agere; nec delictum simoniae *attentantes.* — *Attentarent* simoniae delictum, sed non *perpetrarent* in ordine ad censuram, ex. gr.: 1) qui pactum simoniacum inierint, sed ad effectum aliqua de causa, sive voluntaria sive involuntaria, non adduxerint; 2) ille qui studuit rem temporalem tradere alteri pro re spirituali, sed frustra; sive alter delictum perceperit et dixerit tradenti: « pecunia tua sit tibi in perditionem »; sive alter delictum nec suspicatus fuerit, et tamen oblatam pecuniam accipere noluerit alia de causa.

h. « *Delictum simoniae* »; cuiuslibet, ut supra (tamen, pro nostra opinione, *iuris divini*) quae fuerit externe patrata.

i. « *In quibuslibet officiis* »; ergo in officiis ecclesiasticis sensu tam *lato* quam *stricto* acceptis. Iamvero, « officium ecclesiasticum *lato sensu* est quodlibet munus, quod in spiritualem finem legitime exercetur: *stricto* autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis »: c. 145, § 1. — Et sic comprehenduntur officia: *beneficialia:* c. 146; *consistorialia:* c. 260; *divina:* c. 2256; *ecclesiastica:* c. 145.

l. « *In quibuslibet beneficiis* », scilicet ecclesiasticis. — « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos »: c. 1409. In iure beneficia ecclesiastica multipliciter distinguuntur, sed omnia profecto lege censurae afficiuntur.

Accipe ius. « Beneficia ecclesiastica dicuntur: 1.° *Consistorialia* quae in Consistorio conferri solent; cetera, *nonconsistorialia;* 2.° *Saecularia* vel *religiosa,* prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectant; omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domos religiosorum, in dubio saecularia esse praesumuntur; 3.° *Duplicia* seu *residentialia,* vel *simplicia,* seu non *residentialia,* prout, praeter officium beneficiale, adnexam habent, vel minus, obligationem residendi; 4.° *Manualia, temporaria* seu *amovibilia,* vel *perpetua* seu *inamovibilia,* prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum; 5.° *Curata* vel *non*

curata, prout curam animarum adnexam habent vel non »: c. 1411.

Et nota: « licet aliquam cum beneficiis similitudinem prae se ferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt: 1. *Vicariae paroeciales* non in perpetuum erectae; 2. *Cappellaniae laicales*, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica; 3. *Coadiutoriae* sine vel cum futura successione; 4. *Pensiones personales;* 5. *Commenda temporaria*, idest concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur »: c. 1412. Unde haec omnia, quae in iure veteri nomine *beneficii* non stricte sumpti veniebant, sine poena censurae, licet non sine culpa simoniae usurpari, possunt. Cf. *D'Annib.* n. 133.

Sed officia Vicarii paroecialis, Oeconomi spiritualis, Cappellani et Coadiutoris sunt *officia* sane ecclesiastica; et idcirco ipsa quoque afficiuntur lege censurae.

m. « *In quibuslibet dignitatibus ecclesiasticis* ». « In qualibet ecclesia capitulari sint dignitates et canonici »: c. 393, § 1. « Capitulum constat dignitatibus et canonicis, nisi, ad dignitates quod attinet, aliud ex capitularibus constitutionibus eruatur; non autem inferioribus beneficiariis seu mansionariis, qui canonicis auxilium praestant »: c. 393.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex omni externo et consummato actu simoniaco: *a)* tum in electione aut renuntiatione officii, canonico sensu accepti; *b)* tum in electione aut praesentatione aut resignatione beneficii ecclesiastici cuiuslibet; *c)* tum in electione aut renuntiatione dignitatis ecclesiasticae cuiuslibet.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, non solum qui actum simoniacum perfecerint, sed et mandantes, et quotquot necessarium praestiterint influxum, effectu secuto.

Adn. Can. 2393. Omnes, qui iure eligendi, praesentandi, vel nominandi legitime fruuntur, si neglecta auctoritate illius, cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent.

Can. 2394. Qui beneficium, officium, vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen seu

administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

1.° Sit ipso iure ad eadem inhabilis, et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;

2.° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere.

66. *Quid de decimatertia, quae est in eos, qui Curiam episcopalem aliquo documento privaverint, Sede episcopali impedita aut vacante?*

Can. 2405. Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii plecti poterunt.

Declaratio. a. *Ius vetus,* ad rem passim diffusum, *noviter* in canonem explicitum ac proprium redactum est.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legum, quibus documenta Curiae servanda sunt et non deportanda; sed legislator intendit praecavere periculum, cui exponi potest veritas seu iustitia, documentis veritatis et iustitiae subtractis.

c. « *Vicarius Capitularis* »: igitur censura tenet evidenter Sede episcopali impedita aut vacante dumtaxat; alio enim tempore Vicarius Capitularis non habetur.

d. « *Aliive omnes tam de Capitulo quam extranei* », ergo subiiciuntur censurae tum dignitates et canonici Capituli, tum inferiores beneficiarii, seu mansionarii, qui canonicis auxilium praestant; et qui ad Curiam pertinent: et qui extranei sunt, omnes tam clerici quam laici.

e. « *Documentum quodlibet* », idest quaelibet scriptura, vel quodlibet actum, quo aliquid gravis momenti continetur, ita ut directe vel indirecte habeatur gravitas materiae, qua aliquid possit probari, sive in causis peragendis, sive in causis iam peractis, sive etiam de personis vel rebus dignoscendis. Unde non datur haec censura, si agatur de libris, quae ad bibliothecam episcopalem vel capitularem pertineant, vel de rebus Curiae pretiosis, vel de scriptu-

ris nullius momenti, aut etiam de magni momenti, sed non talis naturae, quae possint conferre ad aliquid probandum; idque dicendum non solum ex significatione verbi *documentum,* sed etiam ex fine, quem Legislator dedit legi evidenter, ut innuimus supra.

f. « *Ad Curiam episcopalem pertinens* »; sive uti proprium, sive uti sibi commodatum, sive uti sibi traditum custodiendum; satis est ut ad Curiam qua talem pertineat.

g. « *Sive per se sive per alium* », idest sive opera propria quis egerit, sive opera aliena.

h. « *Subtraxerit* » de loco proprio et in alium extra Curiam tulerit. — « *Destruxerit* », quocumque modo et in quocumque loco, ita ut absconditum sit iis, ad quos documenta cognoscere seu etiam servare pertinet. — « *Substantialiter immutaverit* » relictum in loco proprio. Tunc autem *substantialiter* mutatur documentum, quando ex interpolatione vel mutilatione, vim probandi propriam prorsus vel magna ex parte amittit, vel etiam quando vis probandi, quae certe erat illi, efficitur incerta, dubia. — Procul dubio delictum erit in singulis casibus consummatum ex ipso facto, quamvis commissum delictum nihil ad finem agentis pravum contulerit, quia, e. g., aliud eiusdem exemplar reservatur in Curia. Et adhaeret cl. *Sole,* p. 415. — Sed si quis facti poenitens, documentum sublatum in suum locum reportaverit integrum statim, ita ut moraliter quasi nulla censenda sit sublatio, obnoxius esse censurae non videtur.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est multipliciter: ex documenti *subtractione, destructione, celatione, substantiali mutatione*, ita tamen ut si quis idem documentum eadem voluntate ad eumdem finem prius subtraxerit, postea mutaverit et tandem destruxerit, non nisi unam videatur contrahere censuram.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, qui egerint scientes et volentes; non vero qui inscii fecerint; ut, e. g., fures, qui simul cum pretiosis rebus etiam documentum subtraxerint, idque postea destruxerint, ut res nullius valoris, vel ut sibi periculosum, si inveniatur.

Art. V. - *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae speciali modo.*

67. *Quot sint, et quid de illis generatim tenendum.*

R. 1.° **Sunt duodecim**; et ab eis absolvere potest: *a*) qui a Sancta Sede impetraverit facultatem *specialem* absolvendi a reservatis Apostolicae Sedi; *b*) *Cardinales* in confessione quemlibet poenitentem ubique terrarum.

2.° **Simplex confessarius**: *a) in periculo mortis* potest ab eis absolvere de iure; nec poenitenti est onus recurrendi, etsi convaluerit; *b*) *in casibus urgentioribus* item; sed tenetur prius imponere poenitenti onus recurrendi sub poena reincidentiae et standi mandatis; *c*) periculo mortis et casibus urgentioribus remotis, nequit *sciens* absolvere; sed si a censura et a peccato absolvit ignorans reservationem, valide absolvit; si vero absolvere *praesumpserit*, invalide ageret et in excommunicationem Ap. Sedi simpliciter reservatam incideret.

3.° **Qui** communi consilio delinquendi simul physice concurrerint in delictum; et **mandantes; et qui** alium, etiam impuberem, ad delicti consummationem inducunt *tali influxu, sine quo* delictum commissum non fuisset, singulis censuris subiiciendi sunt, licet in lege censurae non nominentur expresse.

4.° **Prima** excommunicatio speciali disciplina regitur.

Adn. *Ex indice* analytico-alphabetico promulgato per Commentarium officiale *Acta Apostolicae Sedis,* excommunicationes legerentur *quatuordecim,* quia ibi referuntur etiam canones 2316, 2340 tamquam particularem excommunicationem continentes. Nos diximus eas esse *duodecim* eo quod canones ibi citati non nisi casum specificum viderentur continere excommunicationis illius, quae in canone antecedenti 2315 decernitur communiter contra *suspectum de haeresi non emendatum;* secus enim viderentur ibidem referendi etiam canones 2319 § 2, 2320, 2232, 2340 § 1, 2371, in quibus etiam alii declarantur *suspecti de haeresi,* quamvis diversis de causis. — Si fallimur, lectores corrigant errorem.

68. *Quid de prima, quae est in apostatas, haereticos, schismaticos et quae speciali disciplina regitur?*

Can. 2314, § 1. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici:

1.° Incurrunt ipso facto excommunicationem;

2.° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur.

3.° Si sectae acatholicae nomen dederint, vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188 n. 4, clerici, monitione incassum praemissa, degradentur.

§ 2. Absolutio ab excommunicatione, de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus.

Declaratio. a. Ex relato integro iure plura colligenda sunt: *1. Excommunicatio* huiusmodi, in foro conscientiae et idcirco potissimum in sacramentali confessione, est reservata Apostolicae Sedi, idest Sacrae Poenitentiariae, sicut ceterae omnes speciali modo reservatae: sed fieri potest reservata *Episcopo* loci (non autem Vicario Generali), si nempe casus ad forum externum eiusdem Episcopi fuerit deductus aliquo modo, etiam ex eo quod excommunicatus ipse sponte Episcopum adeat eique dicat suum peccatum cum censura; exinde Episcopus potest auctoritate ordinaria (ac proinde delegabili, in casu) a censura illum absolvere in foro externo, praevia abiuratione facta coram Episcopo. Data absolutione a censura, peccatum, etiam de regula generali, cessat esse

reservatum, ac proinde et illud statim absolvi potest in confessione, sive ab ipso Episcopo sive a quolibet simplici confessario. — Idque meminerit confessarius, si huiusmodi excommunicatum poenitentem audierit. — 2. *Poenae*, quibus subiiciuntur ipso facto huiusmodi delinquentes, et quibus ad resipiscentiam coarctandi sint clerici, plane iam decretae et descriptae sunt ipso iure.

b. *Ius vetus* in novo continetur; sed quod erat uno contextu redactum (apostatas, haereticos eisque *credentes* eorumque *fautores, defensores*) datum est duobus canonibus distinctis, scilicet canone praesenti et canone sequenti (Cf. etiam c. 2316).

c. *Excommunicatione* plectitur violatio legis divinae, quae est nobis ex pluribus SS. Scripturarum locis, et ecclesiasticae: c. 1323-1325, § 1.

d. « *Omnes a christiana fide apostatae* ». Dicuntur apostatae *a christiana fide,* quia dantur apostatae a religione. — Apostata igitur est, qui « post receptum baptismum... a fide christiana totaliter recedit » : c. 1325, § 2, scilicet *interne* ex animo seu voluntate, et *externe* ex manifestatione animi interni, facta sive explicite per verba, sive implicite per actionem seu actum aliquod. Idque, licet nulli falsae religioni seu fidei adhaereat.

Sunt huiusmodi : *rationalistae, positivistae, materialistae; indifferentistae theoretici, atheistae, pantheistae, deistae, veri modernistae* circa religionem; *qui* exsistentiam aut possibilitatem divinae revelationis negant; *qui* nec nomen christianum retinere volunt, sed illud aliquo actu formali, puta declaratione propriae religionis in conficiendo censu populi, reiiciunt. Et nota: proposito dubio: « an doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica, ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros legere », S C. S. Off. d. 18 iul. 1919 respondit: « *Negative* in omnibus ».

e. « *Omnes et singuli haeretici* ». — Haereticus dicitur, qui « post receptum baptismum, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credenda *denegat* aut de ea *dubitat* » : c. 1325, § 2; licet nulli sectae haereticae adhaereat. — Iamvero « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » : c. 1323, § 1; et « sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis » : c. 1323, § 2.

Denegat profecto, qui errorem suum internum *pertinaciter*, idest sciens et volens, *affirmat* seu *profert externe,* sive verbis,

sive scriptis, sive signis ; unde generatim non ut haeretici excommunicationi subiiciuntur rudes et indocti christiani, qui locutiones aut blasphemias haereticales proferunt ; peccant plerumque ex ignorantia et blasphemant ex ira vel etiam ex impietate, non vero ad *denegandam* veritatem.

Dubitat, qui dubium suum internum voluntarium et pertinax contra veritatem sciens et volens *externe affirmat* seu *profert, contra veritatem*, non ad alium honestum finem, puta ad consilium petendum. — Cessat igitur vetus controversia.

Qui abdita cordium scire vel futuras hominum actiones, quae soli Deo patent, divinare conantur per tabulas rotantes vel spiritismum, obnoxii sunt excommunicationi ; sed oportet ut ad errorem contra fidem, in his actionibus contentum, advertant eique adhaereant, vel saltem de veritate dubitent. Et assentiunt *Cappello* n. 64 et *Sole* p. 223.

Qui nati sunt in secta haeretica in eaque vivunt, veritate nunquam cognita ac proinde nunquam reiecta seu denegata *pertinaciter,* ut patet, excommunicationi non sunt obnoxii.

Qui sciens et volens haereret anceps seu dubius de suo nomine dando alicui sectae haereticae tamquam *verae ecclesiae,* aut de suo recessu faciendo ab Ecclesia catholica tamquam *a falsa secta*, haereticus est ; sed si solo animo seu mente interna dubius, anceps fuerit, non obnoxius est censurae ; hanc incurrerent solum si haesitationem suam aliquo modo *externam* fecerit. — *Haeretici,* saltem, habendi sunt modernistae circa religionem. *Haeretici,* si non apostatae, habendi sunt qui conscii socialismi placita complectitur ; et qui liberos baptismo ablui vetat, quia non credit ; et qui nuptias mere civiles contrahit, matrimonium christianum non credens.

f. « *Omnes et singuli schismatici* ». Schismaticus est, qui « post receptum baptismum et nomen retinens christianum... pertinaciter... subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat » : c. 1325, § 2 ; etsi nulli sectae schismaticae adhaereat. — Unde quis obnoxius esse potest huic excommunicationi : - 1) ex eo quod *baptizatus catholicus, retinens nomen christianum* pertinaciter *renuit subesse* supremae potestati Romani Pontificis, etsi eiusdem potestatem *non neget;* etenim si et hoc fecerit, esset etiam haereticus ; - 2) ex eo quod quis *baptizatus catholicus, retinens nomen christianum* pertinaciter *renuit communionem catholicam* habere cum membris Ecclesiae, Romano Pontifici subiectis ; etenim etiam in hoc casu Pontifex dicere potest cum Christo : « Qui non colligit mecum, dispergit ». Luc. XI, 23. -- Immo quia ius in definitione schismatici danda verbis generalibus utitur, quae comprehendere

possunt tum natos catholicos tum natos schismaticos, et proinde nec nobis sit distinguendum, ideo; - 3) etiam *baptizatus schismaticus;* qui, sciens, pertinaciter renuat subesse Romano Pontifici vel communicare cum membris subiectis, dignus videtur qui censura remaneat seunctus a communione catholica. — Hac censura plectuntur illi *Liberales catholici,* qui systema sic dicti *Liberalismi puri* a Leone XIII in encycl. *Libertas* a. 1888 damnati adoptant vel amplectuntur, scilicet illud systema politico-religiosum, quod plenam independentiam status ab Ecclesia vel religione profitetur: *Cappello* n. 63; *Sole* p. 225 com aliis.

g. *Ordinarius loci* quis sit, vid. n. 6.

h. « *Aliisque servatis de iure servandis* »; hoc est *a*) facta inquisitione de validitate baptismi in haeresi suscepti: Instr. S. Off. 20 iul. 1859; - *b*) imposita salutari poenitentia pro gravitate culpae; - *c*) facta obligatione scandalum, meliore quo fieri potest modo, removendi; - *d*) rescissione a secta, et etiam a daemone, si cum eo quidquam pactum sit aliqua ratione.

i. « *Delictum apostasiae etc. ad forum externum Ordinarii loci* » deducitur tum per publicam aut privatam denuntiationem aliorum, tum etiam per voluntariam confessionem delinquentis, quatenus ipsemet coram Ordinario loci compareat eiusque iudicio se subiiciat.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a*) ex voluntaria vel etiam solum *graviter imputabili* apostasia a fide catholica; *b*) ex haeresi, quae sit ex voluntaria, formali et externa *denegatione* aut *dubitatione* alicuius veritatis de fide credendae; *c*) ex pertinaci et solum *graviter imputabili* denegatione propriae subiectionis Romano Pontifici, qua tali; *d*) item ex negata pertinaciter communicatione cum catholicis universis.

2. **Obnoxii sunt:** apostatae, haeretici, schismatici, uti explicatum est. Et si ad falsam religionem aut sectam haereticam vel schismaticam ab Ecclesia Catholica transierint, infames etiam fiunt ipso iure.

Adn. a. Lex censurae *praesumptionem* non exigit; aliunde nec metus gravissimus excusare posset a censura, quia delictum vergeret in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis (cf. n. 31).

b. *Infamia* quid importet, vid. n. 144.

69. *Quid de secunda, quae est in suspectum de haeresi non emendatum?*

Can. 2315. Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.

Declaratio. a. *Ius vetus,* ut diximus supra, una eademque lege atque censura multabat tam *haereticos* quam « *eorum receptores, defensores, fautores eisque credentes* ». *Ius novum* non ita, sed una lege, quam supra vidimus, percellit haereticos, eorum vero fautores etc. punit altera lege, quae est in hoc canone. Iamvero quis fieri potest suspectus de haeresi non solum ex praestito haeresi seu haereticis favore, sed aliis etiam modis; unde lex propria *in suspectos* de haeresi bono fidei et animarum dupliciter aptius consulit: et quia prudentius et accuratius procedit in delinquentes; et quia quoquo modo delinquentes afficit atque coercet ad salutem.

b. « *Suspectus de haeresi* », quilibet ex iis, qui tales sunt ex iuridica seu legitima suspicione. Unde:

1. « **Qui quoquo modo** haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, *suspectus de haeresi est* »: c. 2316. Et idcirco etiam *praescriptum* Card. Vicarii Romae, datum pro Civibus Romanis Instructione 12 iul. 1878, videretur posse quasi norma haberi non solum Romae, sed ubique locorum saltem nostrorum, in quibus fides catholica viget, ita ut qui Romae olim ex citata Instructione, probante Leone XIII, excommunicationem *in haereticos latam* incurrebant, hodie possint ab Ordinariis haberi *ut suspecti de haeresi.*

Et huiusmodi sunt: a) « *Qui* etiam sine voluntate adhaerendi haeresi et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina haereticorum sectis cuiuslibet denominationis; *b) Qui* intersunt acatholicis functionibus aut servitiis, ut dici solet, aut praedicantem audiunt eo consilio, ut eisdem sese dedant, si, ut impie dicunt, ab eo persuaderi possint; *c) Qui*, alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt alios quomodocumque et curant, ut eant aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas *conferentias; d) Qui* typis publicant invitationes ad praefatas *conferentias* et themata earumdem, propter favorem, quem taliter agendo

praebent haeresis propagationi aut confirmationi ; *e*) *Ministri* typographi, etiam secundarii, si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis *docetur et sustinetur ;* quibus his accensendi sunt correctores ». Instr. Card. Vicarii 12 iul. 1878 ex *Acta S. Sedis,* t. IX.

2. « **Catholici :** *a*) *Qui matrimonio* uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam ; *b*) *Qui scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt ; *c*) *Parentes* vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt, *sunt praeterea suspecti de haeresi* » : c. 2319. Dicitur *praeterea* quia subsunt etiam excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae, de qua n. 47.

3. « **Qui species consecratas** abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, *est suspectus de haeresi* » : c. 2320. — Hic praeterea incurrit excommunicationem, de qua n. 81.

4. « **Omnes et singuli,** cuiuslibet status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, *sunt suspecti de haeresi :* c. 2232. — Hi autem ipso facto contrahunt etiam excommunicationem, de qua n. 72.

5. Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, *est de haeresi suspectus* » : c. 2340, § 1.

6. « **Omnes,** etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt *suspecti de haeresi* » : c. 2371. — Clerici praeterea incurrunt suspensionem, de qua n. 121.

Hi omnes de haeresi canonice suspecti : *a*) monendi sunt a competenti Superiore (cf. n. 7) ad normam canonis huius 2315 ; *b*) si moniti suspicionis causam non removerint, puniendi sunt, ut dicitur in canone ; c) et, si se non emendaverint intra sex menses ab inflicta poena (quisque a propria poena inflicta : laicus a prohibitione, clericus a suspensione), *ipso facto contumaciae perdurantis et elapsi spatii sex mensium* contrahunt excommunicationem, quae ex canone 2314 est in haereticos lata (n. 68) ; et haec nova censura aliis coniungetur, quibus ipsi prius forte exstiterint innodati.

Adn. a. Can. 2317. « *Pertinaciter docentes vel defendentes* sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis, quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit ».

b. Censemus Ordinarios gratissimos fore Sanctae Romanae Ecclesiae, quod tale ius illis constituerit, ex quo medium omnibus commune datum est, securius ex officio adhibendum ad integritatem fidei servandam.

70. *Quid de tertia, quae est in editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum et in defendentes, legentes, retinentes eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos?*

Can. 2318, § 1. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.

Declaratio. a. *Ius novum* est *antiquo* multum conforme; quam ob rem ex antiquo etiam potissimum est aestimandum: c. 6, 2°, 3°.

b. « *Editores* » sunt, qui *nomine proprio* editionem faciendam curant; et idcirco *editor* potest esse *dominus* seu rector officinae typographicae, *librarius*, persona privata cuius interest, *plures* in societatem uniti. *Editores* unius libri possunt esse etiam plures qui, uniti communi *consilio, stipe, societate*, pariter delinquunt et ideo omnes obnoxii sunt censurae sive ex can. 2209, § 1, sive ex eo quod *veri* editores sunt omnes, licet a *Cavigioli*, n. 86, hoc dicatur absonum. Nec censurae lex heic *praesumptionem* exigit. — Editor potest esse etiam ipse *auctor* libri apostasiam, haeresim, schisma defendentis; et tunc duas excommunicationes contrahit (n. 14), primam, de qua n. 68, et praesentem. — *Editores;* non igitur *typographi*, qui quidem iure antiquo censura plectebantur.

c. « *Librorum* » ; et hoc nomine veniunt etiam publicationes periodicae, quae, uti patet, concrescunt et ligantur in fasciculos : S. Off. 13 ian. 1892 ; sed non veniunt libelli adeo exiguae molis, ut libri dici nequeant, sed potius *elegiae, epistolae, orationes :* non veniunt *folia, diaria,* (*giornali, gazzette*): S. Off. 21 apr. 1880 ; nec quae hodie lithographice, photographice similive modo edi solent pro usu discipulorum : Card. *Lega ; Sole,* p. 233.

d. « *Apostatarum, haereticorum et schismaticorum* » eo sensu, quo dicti sunt superius. Sunt igitur illi, quorum nomina *alicui sectae,* haereticae aut schismaticae, addicta sunt, et illi, quorum haeresis aut schisma aut apostasia est *notoria,* sive notorietate iuris, sive notorietate facti. Nec refert, quod ipsi iam resipuerint. *D' Annib.* n. 39. Etnici, Hebraei, Acatholici non comprehenduntur.

e. « *Librorum.... qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant* » ; ergo non satis est, ut libri haeresim, schisma, apostasiam solum contineant vel etiam sapiant pluribus in locis vel aliter et per transennam tueantur ; sed necesse ad censuram est, ut haeresim ipsam, ipsum schisma, ipsam apostasiam *propugnent*, hoc est, data opera doceant, aut defendant, aut saltem favorem illis tribuant : *D' Annib.* n. 40, aliique communiter.

f. « *Opere publici iuris facto* ». Igitur delictum consummatur quando libri impressi distribuuntur, conceduntur, venduntur indiscriminatim. Nec refert, quod *publicatio* librorum fiat opera et cura editoris vel alterius. Qui tamen censuram incurrunt, sunt *editores,* non *publicatores. Cappello* n. 75, *Sole* p. 233 assentiunt.

g. « *Defendentes eosdem libros* », eos in tuto collocando, aut destructioni vel proscriptioni eripiendo manu, aut eorum doctrinam verbis, patrocinio sustinendo. — Nec lex censurae hic *praesumptionem* requirit.

h. « *Aliosve* » libros, *typis* impressos, non *manu* scriptos : sed utique si lithographice aut dactylographice editi sint, non quidem in parvo sed in notabili numero exemplarium ; re enim vera S. Officium Kal. aug. 1917 et librum lithographice editum in Indicem referri iussit. — Sed quaestio esset, practice, nullius momenti, cum *alii* huiusmodi libri nonnisi *post damnationem* attendantur in iure. Iamvero nullum dubium quod censura afficiat non tantum libros nominatim per apostolicas litteras in posterum prohibendos sub poena excommunicationis, Ap. Sedi reservatae uno alterove modo, sed etiam libros item hucusque iam prohibitos.

i. « *Defendentes* et *alios* libros *per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* » ; quacumque de causa sint prohibiti, in forma *Brevi* vel *Bullae* vel *Encyclicae.* Sed requiritur, ut liber (sive noti auctoris sive ignoti, parum refert) prohibitus sit *sub poena* excommunicationis Apostolicae Sedi reservata : *D' Annib.* aliique commu-

niter; *c*) sit ita prohibitus *per Apostolicas Litteras,* idest, ab ipso Romano Pontifice aut *expresso nomine* seu *auctoritate* Eiusdem, non vero simpliciter a Sacris Congregationibus per rescriptum: Card. *Lega* n. 418; *Sole,* p. 234. *Nominatim* vero prohibiti habentur libri, quorum titulus saltem dicitur, non qui generali modo prohibentur: *Bucceroni,* n. 13. — Nec hic lex censurae praesumptionem postulat.

1. « *Scienter legentes, (scienter) retinentes* » libros supra dictos. Et hic censurae lex praesumptionem exigit; unde a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.° — *Legit* qui oculis percurrit litteras easque intelligit; *non legit* qui audit legentem, aut qui litteras non novit. — *Legentes* ex proposito partem notabilem, *cuiusmodi non sunt*, qui librum aperirent, clauderent successive pluries et interea unam vel alteram locutionem hic illic viderent; nec qui paginam mediam aut integram legerent, nisi in ea adsit *ratio,* qua liber nominatim prohibitus fuit per apostolicas litteras.

Retinet librum, qui illum per notabile tempus tenet, sive suum, apud se vel apud alios, sive alienum apud se. Sed una vel altera dies non esset notabile tempus; huiusmodi est tempus ultra mensem, sine rationabili causa excusante a gravitate culpae: *D'Annib.* n. 142; *Gennari, Noldin, Cappello,* n. 79.

Pro legentibus et retinentibus sane omnis causa censurae et illiceitatis cessat, si egerint cum debita licentia, concessa ab Ordinario, qui eam concedere possit. *Licentia* non videtur necessaria bibliothecariis, ut valeant huiusmodi libros admittere.

Unde: 1. Causa integra censurae est multipliciter: *a*) *pro editoribus ex voluntaria et graviter imputabili* editione alicuius libri ex supra dictis; incurritur tamen censura ex eo temporis puncto, quo liber apostatarum, haereticorum, schismaticorum distribuitur, venditur, conceditur publice. Unde delictum editorum ad censuram non consummatur, si libri statim destruantur, vel ante distributionem etc. casu pereant, vel seponantur omnino; *b*) pro omnibus *ex voluntaria et graviter imputabili defensione* eorumdem librorum; item ex defensione librorum nominatim a R. Pontifice vel nomine Romani Pontificis damnatorum sub poena excommunicationis Apostolicae Sedi reservatae; *c*) pro omnibus *ex cognita et libera omnino* lectione horum omnium et singulorum librorum; *d*) pro omnibus *ex cognita et li-*

bera omnino retentione horum omnium et singulorum librorum.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a*) *editores* vel unius libri ex supra dictis, scilicet haereticorum, schismaticorum, apostatarum; *b*) *defendentes, legentes, retinentes,* librum vel unum ex supra dictis apostatarum etc., vel ex nominatim prohibitis.

Adn. a. *Quaecumque legitima prohibitio* librorum secum fert, ut liber nec edi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec cum aliis communicari possit: c. 1398, § 1. — Quos libros damnavit Sedes Apostolica, ii prohibiti sunt ubique et quocumque idiomate: c. 1396. Prohibitionis decreto tenentur omnes subditi prohibentis, excipiuntur tamen Cardinales, Episcopi etiam titulares, aliique Ordinarii: c. 1401. — Ex hoc canone *Cappello,* n. 70, censet praesenti censura non teneri Episcopos aliosque Ordinarios. Sed contra canonem huiusmodi de *prohibitione in genere* stat canon legis censurae seu prohibitionis *in specie;* qui canon *particularis* derogat *generali*, et qui quidem interpretandus est ad normam canonis 2227, quo Episcopi, si non explicite eximuntur a lege excommunicationis latae sententiae, eidem subiiciendi sunt.

b. Pravus liber potest esse prohibitus: *a*) *iure naturae,* ratione periculi ex lectione; unde potest prohiberi sub gravi, ratione periculi proximi, sub levi, ratione periculi remoti, et fieri individuo etiam minime prohibitus, si tali individuo lectio evadat nullo periculo; *b*) *iure positivo* ratione legis datae in praesumtione periculi, et tunc lex non cessat pro individuo, etiamsi pro eodem nullum daretur periculum, quia « leges datae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit: c. 21; *c*) *ratione iuris naturalis et positivi* simul; unde liber quidam esse potest mihi prohibitus ratione legis naturalis seu periculi, etiam post concessam mihi veniam a lege positiva.

71. *Quid de quarta, quae est in non promotum ad ordinem sacerdotalem, qui Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit?*

Can. 2322. « Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit,

speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper laicus quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur ».

Declaratio. a. Ius est noviter inductum, quod Ecclesia censuit expedire ob effrenatam hominum malitiam; in iure antiquo poenae ferendae sententiae aderant in clericos ordinem non susceptum usurpantes.

b. « *Ad ordinem sacerdotalem non promotus* »; ergo laicus, clericus, subdiaconus, diaconus; non vero sacerdos. Ita etiam *Cappello,* n. 80; *Pighi,* n. 19; *Sole,* p. 245.

c. « *Si Missae celebrationem simulaverit* ». *Simulatio* sacramenti habetur quando actio sacramentalis ita ponitur ut necessaria sit deceptio aliorum quatenus merito alii censent sacramentum confici. In casu Missam simulare dicitur qui, nondum consecratus sacerdos, ad altare ita paratus se sistit atque ita se gerit, ut adstantes putare debeant, illum celebrare Missam, etsi forte nihil dixerit ex his, quae secreto dicenda sunt. Simulator autem est tum qui agit habitualiter tamquam pseudosacerdos, tum qui delictum patraverit semel tantum; et sive stipem accipiat, sive non. Immo censemus simulatorem dari etiam, si nonnulli ex adstantibus noverint secreto, illum non esse sacerdotem; satis est, ut adstantes communiter existiment, illum esse sacerdotem et celebrare Missam. — Ut videtur, ius praecavere intendit non solum turpem dolum sacrilegum, sed etiam materialem adstantium idololatriam.

Sed non esset *simulator* Missae *sacerdos*, qui celebrare voluerit, etsi suspensus sit aut degradatus; nec qui histrionum more personam celebrantis sacerdotis egerit; nec qui in talibus rerum adiunctis egerit, in quibus falso omnino alii putarent agi de vera celebratione Missae. *Pighi* n. 19; *Cappello* n. 80; *Sole* p. 245 assentiunt.

d. « *Si... sacramentalem confessionem exceperint* ». *Sacramentalis* dicitur confessio ex parte *poenitentis,* non ex parte ministri. Et *sacramentalis* confessio est, quam poenitens intendit facere sacro ministro in ordine ad absolutionem. Unde *sacramentalis* remanet confessio etiam si re vera non sacerdos, sed laicus audiat poenitentem, qui ab eo putetur sacerdos; nec requiritur, ut sacerdos vel laicus, audita confessione, absolutionem impertiant aut simulent. — Contra cessat esse sacramentalis confessio, quae ex parte poenitentis *scienter* fiat illi, qui non est sacerdos, aut non fiat in ordine ad absolutionem exposita materia saltem sufficienti.

Unde : Causa integra censurae est dupliciter : *a*) ex simulata coram aliis Missa ; *b*) ex confessione etiam solum audita, quae sit sacramentalis ex parte poenitentis.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, tum *laici* (viri et feminae), tum *clerici*, qui nondum fuerint consecrati sacerdotes.

Adn. Delinquentes, sive **laici** sint sive **clerici,** nondum consecrati sacerdotes, « si alia munia sacerdotalia *usurpaverint*, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur » : can. 2322, 2.°

Nota illud *usurpaverint*, quod fieri potest etiam sine simulatione.

72. *Quid de quinta, quae est in appellantes a Romano Pontifice ad Universale Concilium ?*

Can. 2332. Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.

Declaratio a. In *iure antiquo :* « appellantes ab ordinationibus seu mandatis... ad futurum Universale Concilium, eosque, quorum favore, consilio, auxilio fuerit appellatum » ; *ius novum,* clarius redactum, voces « *futurum, cooperatores* » non retinet.

b. *Excommunicatione* plectitur delictum contra supremam et universalem auctoritatem Romani Pontificis : c. 218.

c. « *Omnes et singuli* » etc. — Obnoxii igitur censurae sunt etiam Cardinales et Imperatores.

d. « *A legibus, decretis, mandatis* ». Discrimen inter ea, quod sit, nosti. Omnia tamen *obligant,* sive leges, quae dantur pro tota communitate et pro semper, sive decreta, quae aut non toti communitati dantur, aut ei ad tempus, sive mandata, quae dantur singulis ad modum praecepti vel sententiae ; et ratione *obligationis* distinguuntur a consilio, adhortatione, monitione, quae vi obligationis carent.

Necesse tamen est, ut agatur de lege, decreto vel mandato, quod sit datum : *a*) *a Romano Pontifice* immediate, non ab alia auctoritate inferiore aut a Sacris Congregationibus, nisi decretum aut mandatum a SS. CC. editum *sit de expresso* seu *speciali mandato* ipsius R. Pontificis aut ab eodem approbatum *in forma*

specifica, quo in casu omnes canonistae docent actum fieri vere et proprie pontificium; *b*) *a Pontifice adhuc vivente,* non vero iam defuncto. *In iure antiquo* (vid. supra) arguebant Theologi, ut *D'Annibale* et *Lega,* excusari a censura appellantes a *statutis* vel *legibus*. Haec sententia in iure novo est relinquenda.

e. « *Ad Universale Concilium* », sive futurum, sive *praesens* sive intermissum. — Sed oportet, ut Concilium sit *Universale*; non satis esset appellatio ad Concilium particulare, nec ad Pontificem futurum, nec ad ipsum Pontificem viventem melius informatum.

f. « *Appellantes* » formaliter. Est autem appellatio: « provocatio ab inferiore ad superiorem »: c. 1879. Et in hac appellatione rebelli ut haereticali consistit delictum; non enim Pontifice superius est Concilium; ideoque patrantes hoc delictum habentur ut suspecti de haeresi; immo si quis appellaret, quia crederet Pontificem non habere supremam et infallibilem auctoritatem in Ecclesia, foret insuper obnoxius excommunicationi haereticorum, de qua c. 2314 seu n. 68. *Sole* p. 259.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est, facta formaliter appellatio a qualibet Romani Pontificis regnantis obligatione imposita, sive lege, sive decreto, sive praecepto ad Concilium Universale, sive praesens, sive futurum, sive intermissum.

2. **Obnoxiae sunt** excommunicationi, ex integra causa, omnes personae *physicae*, Cardinalibus, Regibus, Imperatoribus non exceptis; non personae *morales*.

Adn. a. *Personae physicae* praeterea fiunt eo ipso suspectae de haeresi; et cf. n. 69.

b. *Personae morales*, idest Universitates, Capitula, Collegia, quae appellaverint, contrahunt interdictum. Cf. n. 97.

c. *Cavigioli* n. 94 ita: « Incisum illud: *pro tempore exsistentis* iuxta D'Annibale, requirit R. Pontificem nondum diem obiisse; quod mihi, si quid opinor, est difficile, nam mors Pontificis eius edicta non facit irrita, nec primatum R. Sedis enervat ». Verum est, quod mors Pontificis eius edicta non facit irrita, sed tamen adhaerendum sententiae D'Annibale aliorumque dicimus eo quod lex censurae consulere intendit potissimum dignitati et reverentiae debitae Supremae Auctoritati *viventi*. Vivente enim R. Pontifice, appellatio ab eo habet magis irreverentiae; ut autem appellatio prohiberetur fieri etiam a decretis et mandatis defunctorum, oculis mundi forte non expediret.

d. *Consulentes* et *cooperatores* in genere ideo in *novo* iure, secus ac in *antiquo,* non inducuntur explicite, quia etiam hic canon, ad cooperatores quod pertinet, accipiendus est ad normam can. 2209, § 1, 2, 3. Cf. n. 10.

73. *Quid de sexta, quae est in eos qui litteras vel acta Apostolicae Sedis aut eiusdem Legatorum impediunt?*

Can. 2333. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos, ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.

Declaratio. a. *Ius novum et antiquum* fere concordant, quod ad substantiam attinet, et quod ad formam; quare ius novum omnem interpretationem iuris antiqui recipit (n. 34).

b. *Materia* circa quam sunt: *a*) *Litterae* vel *Acta Apostolicae Sedis,* sive quae immediate prodeunt nomine Romani Pontificis in forma Bullae seu Constitutionis aut Brevis, sive quae in forma litterarum vel actuum a Sacris Congregationibus dantur: C. S. Off. 13 ian. 1892; nunc etiam can. 7; *b*) *Litterae vel acta Legatorum* Apostolicae Sedis; sive sit *Legatus a latere,* nempe « Cardinalis, qui a Summo Pontifice tamquam *alter ego* cum hoc titulo mittatur »: c. 266; sive sit *Legatus* cum titulo Nuntii aut Internuntii: c. 267; dummodo hi legitime agant, eo quod non nisi id agant quod valeant ex accepta potestate, nec eorum mandatum sit expletum, nec sit intimata revocatio eiusdem, nec acceptata eorum renuntiatio: c. 268, § 2. — Legimus autem c. 268, § 1, eorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis non exspirare, vacante Sede Apostolica.

Delegati apostolici non comprehenduntur, quia in iure plane distinguuntur a *Legatis:* c. 267, § 2; et quia ius novum loquitur solum de *Legatis,* quum ius vetus esset de « Legatis et *Delegatis* quibuslibet ». — *Cappello,* n. 81, et *Cavigioli,* n. 97, hic etiam Delegatos adnumerant.

« *Profecta* », hoc est data iam esse debent acta seu litterae; hinc non incurrunt censuram hanc illi, qui impediunt, quominus acta seu litterae dentur vel impetrentur. *Sole* p. 262. Hi tamen facile inciderent in censuram, de qua n. 74.

c. « *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas* » etc.

Huiusmodi sunt facientes recursum ad eos laicos, qui potestate coactiva pollent, uti sunt *iudices, magistratus, praefecti* urbium, *reges, praesides* seu *ministri* regni; et quidem *directe ad hoc,* scilicet ut promulgatio vel exsecutio litterarum seu actuum Apostolicae Sedis impediatur, non permittatur, irritetur. Censura autem, exstante controversia inter theologos, non est censenda contracta nisi *effectu secuto.* — *Sed recurrentes* obnoxii ceusurae non sunt, si recursum faciant ad eos laicos, qui, licet munus publicum habeant, non tamen iurisdictione seu potestate coactiva pollent, uti sunt *syndicus, quaestores, duces;* a fortiori si recurrant ad personas *privatas,* quae prohibeant.

d. « *Prohibentes... promulgationem vel exsecutionem* »; sive sponte agant, sive ex aliorum recursu. Et nota, quod lex censurae *praesumptionem* non postulat. Debent tamen esse personae *publica auctoritate* praeditae. Et ex sententia probabili requiritur ad censuram, ut effectus sit secutus, ita ut de facto non habuerit locum litterarum seu actuum promulgatio aut exsecutio, ac proinde eis uti non potuerint illi, ad quos pertinebant. — *Directe:* agendo in personas, ad quas promulgatio seu exsecutio spectaret. *Indirecte:* agendo in alias personas habentes causam cum illis.

e. « *Laedentes* » graviter in corpore, non vero solum in bonis fortunae vel honoris. — Aut « *perterrefacientes* » metu gravissimo ipsas partes, ad quas litterae seu acta pertinent ob causam ipsarum litterarum seu actuum, quae receperint aut quibus legitime uti voluerint, statim a damno aut metu illato. *D'Annib.* n. 74; *Sole* p. 263.

f. « *Laedentes aut perterrefacientes* » eodem modo *alios* causam habentes, ut sunt procuratores, notarii, exsecutores, consanguinei, affines, familiares, statim a damno vel metu gravissimo illato.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est; *a)* ex facto recursu seu ex data opera vel ex cuia penes laicum iurisdictione seu potestate coactiva pollentem, ut litterae vel acta Romani Pontificis aut alicuius Congregationis aut Tribunalis Curiae Romanae aut Legati a *latere* aut Nuntii vel etiam Internuntii impediantur, ne promulgationem aut exsecutionem habeant; tamen (ex sententia probabili) non nisi effectu secuto; *b)* ex impedita, per laicum habentem potestatem, eorumdem actuum seu litterarum promulgatione, sive sponte laicus egerit, sive ex recepto aliorum recursu; et sive impedierit directe, sive indirecte, ut dictum est;

tamen effectu secuto; *c)* ex impedita item eorumdem exsecutione; *d)* ex damno, quod ratione litterarum seu actuum (plerumque post factam eorum promulgationem vel exsecutionem) illatum sit personis eorum, ad quos promulgatio seu exsecutio spectat, vel personis aliorum causam cum eis habentium, cuiusmodi sunt agnati et cognati; *e)* ex gravissimo metu item illato iisdem personis (quod contingit plerumque ante promulgationem seu exsecutionem).

2. **Causa non integra** esset: *a)* si recursus fieret ad potestatem ecclesiasticam; *b*) ex sententia probabili, si recursus non consequeretur effectum; *c*) si ageretur de litteris seu actis, quae non sint Sedis Apostolicae; *d*) si recursus factus fuerit ad laicum non habentem potestatem iurisdictionis; *e*) si prohibitio fiat a persona, quae in casu nequit prohibere, proprie loquendo, cuiusmodi esset quaelibet persona privata; *f*) si laesio facta esset non in bonis corporis, sed in bonis fortunae aut honoris aut famae; *g*) si metus ex malo comminato, levis, vel solum gravis esset, non vero gravissimus.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a*) *recurrentes,* sive laici, sive clerici, sive privati homines, sive publici, sive personae physicae sive personae morales; *b*) *prohibentes* cum auctoritate; *c*) *laedentes*, item omnes; *c*) *perterrefacientes*, item omnes.

74. *Quid de septima, quae est in edentes mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, et in impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae?*

Can. 2334. Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur:

1.° Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;

2.° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.

Declaratio. a. *Ius vetus* : « impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori; *et ad hoc* recurrentes *ad forum saeculare eiusque mandata procurantes; edentes ;* aut auxilium, consilium vel favorem *praestantes* ». *Ius novum* ergo non solum differt quod attinet ad formam, sed etiam quod ad substantiam.

b. *Excommunicatione* plectitur delictum contra eam libertatem eaque iura Ecclesiae, quae ipsi divinitus concessa sunt et quae etiam in Codice, praeterquam in conciliis, affirmantur.

c. « *Qui edunt leges, mandata, decreta* ». Discrimen inter *legem, mandatum, decretum* omnibus notum est. Lex datur communitati, in perpetuum, per se, a suprema auctoritate eiusdem communitatis ; huiusmodi esset, e. g. lex *de regio placet. Mandatum* datur *individuis,* et dari potest subditis etiam ab auctoritate inferiore. *Decretum* datur communitati ab auctoritate, ordinaria vel delegata, sed non in perpetuum, per se.

Qui edunt sunt: *a)* si agitur de lege vel de decreto, qui legem vel decretum *promulgant.* Etenim non solum in iure canonico « leges instituuntur, cum promulgantur » : c. 8, § 1 ; sed ita in iure civili, puta in iure italico: « le leggi *promulgate* dal re divengono obbligatorie... La pubblicazione consiste nella inserzione della legge nella raccolta ufficiale delle leggi e decreti, e nell'annunzio di tale inserzione nella Gazzetta Ufficiale del regno » : DpC. 1 ; sic et « leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per *editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali,* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus » : c. 9. — Igitur *edentes* sunt *illi, qui ea nomine proprio subscribunt* et *publicant.* Et vide, quia lex censurae *praesumptionem* non exigit. — Sunt igitur *edentes,* reges, principes, praefecti urbium, syndici locorum et qui cum illis in casu nomine proprio legem, decretum, praeceptum subscribunt atque ad normam iuris debent subscribere ut lex, decretum, praeceptum vim suam capiant.

Cavigioli, n. 112, *Cappello,* n. 90, *Pighi,* n. 56 inter edentes recensent etiam *Senatores, Deputatos, consiliarios* ; sed hoc non videtur; quamvis et hi omnes eandem censuram incurrant, editis lege, decreto, praecepto, si communi vel necessario consilio seu suffragio ad condendam legem, decretum, praeceptum concurrerint ; sed ita dicendum ex regula generali, quae est ex c. 2209 (cf. n. 10). Cl. *Sole,* p. 265, etiam nos carpit de *nova interpretatione* data locutioni « *qui edunt* », adducta auctoritate probatorum auctorum, scilicet Card. Lega, n. 444 et Card. D'Annibale, n. 69, dicunt censuram incurri non solum ab edentibus legem, sed etiam ab iis « qui votum dedere favorabile propositae legi », « quotquot ei suf-

fragati fuerint », lege promulgata. Sed, omni reverentia servata, liceat mihi ita instare : hos omnes non immunes a censura dimitto, quos probati auctores damnant ius vetus interpretantes ; dico solum eos non esse *qui edunt :* sunt cooperatores, et subiiciuntur de regula generali ; et si lex est « ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata », illi *ordinationem* praeparant, sed *promulgationem* faciunt, *qui edunt ;* ideoque probati auctores dicunt eos, quotquot legi suffragati fuerint, non nisi *lege edita*, censuram incurrere.

4. « *Contra libertatem et iura Ecclesiae* » ; ergo : *a*) **contra** ius et officium evangelicam doctrinam docendi ubique locorum, quia can. 1322, § 2 dicitur : « Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi ; hanc vero ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur » ; *b*) **contra** potestatem iurisdictionis seu regiminis in suos, quia can. 196 dicitur in Ecclesia dari « potestas iurisdictionis seu regiminis ex divina institutione..., alia fori externi, alia fori interni seu conscientiae, sive sacramentalis sive extrasacramentalis » ; *c*) unde etiam **contra** ius, quod Ecclesia sibi adiudicat canone 1553 : « Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit : 1. De causis, quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas ; 2. De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus, in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem ; 3. De omnibus causis, sive contentiosis sive criminalibus, quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680. In causis, in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni ». — Et hanc naturam, scilicet *mixti fori*, habet actio, quae ex can. 1017 innocenti datur ad compensationem damnorum, si quae debeantur ob matrimonii promissionem validam et sine ulla iusta causa dissolutam (*Commissio Pontificia pro interp. C.* 2-3 iunii 1918). Unde *actio* huiusmodi in singulis casibus pertinet ad illud forum, quod eam primum praevenerit seu admiserit, sive ecclesiasticum, sive laicum ; *d*) **contra** ius, quod Ecclesiae esse declaratur can. 2214, § 1. « Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus ; *e*) **contra** ius concedendi et publicandi Indulgentias : c. 911 ; *f*) **contra** ius, quod « Ecclesiae est proprium et exclusivum, eos instituendi, qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt » : c. 1352 ; *g*) **contra** ius, quod legitur can. 1496 : « Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus, quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustenta-

tionem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria » ; *h*) **contra** ius quod continetur can. 1495 : « Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos. — Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus, quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi » ; *i*) **contra** ius, quod est « catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria » : c. 1206, § 1 ; *l*) **contra** ius quod affirmatur can. 1375 : « Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi » ; *m*) **contra** ius libros suorum praeviae censurae subiiciendi, et a quibusvis editos ex iusta causa prohibendi : c. 1384 : « Ecclesiae est ius exigendi, ne libros, quos ipsa iudicio suo antea reprobaverit, fideles edant, et a quibusvis editos ex iuxta causa prohibendi » : et c. 1395, § 1 : « Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis » : et § 2 : « Ab hac prohibitione datur ad Sanctam Sedem recursus, non tamen in suspensivo » : et § 3 : « Etiam Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex iusta causa suis subditis prohibere : idemque, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores maiores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad Supremum Moderatorem ». Idque dicendum est etiam de publicationibus, diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet : c. 1384, § 2.

Censura contrahitur ipso facto institutionis seu promulgationis legis vel decreti ; item ipso facto dati formaliter praecepti.

e. « *Qui.... exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori* » ; ergo *causa censurae* habetur ex impedito quolibet actu *susceptae* iurisdictionis, sive ordinariae, sive delegatae : c. 197, § 1, sive ordinariae propriae, sive vicariae : c. 197, §. 2, sive fori interni, sive externi : c. 196, sive legislativae, seu ferendi leges, sive coactivae, seu imponendi praecepta et poenas legitime statutas applicandi : c. 2220, § 1. Praeterea causa censurae est etiam ex quolibet impedimento, ne ipsa iurisdictio *suscipiatur ;* unde in ordine ad censuram delinquens est tam qui impedierit, ne Episcopus sua iurisdictione aliquam parocciam provideat aut novam constituat, quam qui impedierit, ne provisus seu electus parochus *regium placet*, necessarium ad receptam iurisdictionem exercendam, obtineat.

Sed nulla causa censurae est ex impedito exercitio *Ordinis*

dumtaxat; unde*: a*) non ex impedita confectione aut administratione Sacramentorum; si Sacramentum Poenitentiae excipiatur, in quo habetur exercitium iurisdictionis, quia institutum est per modum iudicii; *b)* non ex impeditis sacris functionibus, processionibus, Sacramentalibus, sacris praedicationibus; *c*) non ex impedito alio iure Ecclesiae, puta acquirendi aut administrandi bona; *d*) nec ex *coacto* exercitio iurisdictionis; *e*) nec ex *vexatione* illata ob actum iurisdictionis iam positum ; *f)* nec ex impedita parochi adsistentia matrimonio celebrando.

f. « *Qui impediunt exercitium* etc. *ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem* » ; ergo obnoxii sunt censurae **non** quicumque privatorum exercitium iurisdictionis ipsi impediant marte proprio, puta *vi, metu* incusso sacris ministris aut illorum consanguineis ; **nec** personae publicae, quae exercitium impediant ex officio, nomine legis vel nomine Superioris ; **nec** qui impediant facto recursu ad potestatem ecclesiasticam ; **sed** *quicumque privatorum* exercitium supradictum impedierint *mediante recursu* facto ad laicalem potestatem quamlibet, sane effectu secuto ex recursu facto, sive *directe,* idest agendo in illum, qui potestate pollet, sive *indirecte*, idest agendo in alios, puta consanguineos, consiliarios; *item etiam personae potestatem habentes*, quae ad aliam potestatem superiorem recurrant ut exercitium impediatur. — Idque dicendum, etsi fortasse causa dari videretur ad iuste impediendum; quia id iudicare atque agere pertinet ad Ecclesiam.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est : *a*) ex edita lege per suam promulgationem ; vel ex edito decreto per suam promulgationem; vel ex mandato formaliter dato contra libertatem aut iura, quae sunt Ecclesiae propria, ut dictum est; *b)* ex impedito actu iurisdictionis ecclesiasticae cuiuslibet mediante recursu ad laicalem potestatem quamlibet, sive ordinariam, sive delegatam, sive legislativam, sive iudiciariam, etsi fortasse aliqua causa impediendi dari videretur.

2. **Causa non integra** est: *a*) ex lege seu decreto solum condito et non promulgato; *b*) ex impedito exercitio potestatis Ordinis dumtaxat; *c*) ex impedito exercitio iurisdictionis ex parte eorum, qui ex officio seu nomine legis impedierint, sive sponte egerint, sive ex alieno recursu adducti ; *d*) ex recursu, qui effectum non fuerit sortitus; *e*) ex impedito exercitio ex parte privatorum nomine pro-

prio, idest sine recursu ad potestatem laicalem; *f)* ex impedito exercitio, per recursum etiam iniustum ad potestatem ecclesiasticam.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a)* qui legem vel decretum publicaverint proprii nominis subscriptione ad publicationem necessaria; *b)* quotquot communi consilio seu suffragio concurrerint in leges vel decreti editionem; mandantes; et quotquot ad editionem decreti seu praecepti seu legis eosdem edentes tali influxu induxerunt, sine quo delictum non fuisset commissum; *c)* Superior, qui mandatum proprio nomine seu auctoritate propria alteri fecerit; *d)* privati, sive laici sive clerici, qui per recursum impedierint; *e)* etiam personae auctoritate pollentes, quae impedierint per recursum ad potestatem laicalem superiorem et non agentes ex officio.

4. **Obnoxii non sunt**: *a)* privati, qui sine recursu impedierint; *b)* personae in potestate constitutae, sponte impedientes ex officio seu nomine legis, vel impedientes ex precepto alieno recursu; *d)* qui concurrerint sine communi consilio delinquendi et sine influxu seu opera necessaria.

Adn. a. Quae poenae aliae dentur in *clericos* et *religiosos*, qui hoc delictum commiserint, vid.

b. Can. 2337. § 1. Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii iudicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione.

§ 2. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem, qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdoti legitime nominato in parochum aut oeconomum.

75. *Quid de octava, quae est in trahentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus. vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ad iudicem laicum?*

Can. 2341. « Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R.

E. Cardinalibus, vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ».

Declaratio a. *Ius vetus*, cuiusmodi fuerit, et in quibus ab eo differat ius novum, vid. n. 58.

b. *Item* ex eodem n. 58 colligere est: 1) quid importet locutio illa: *si quis ausus fuerit;* 2) quid locutio : *trahere ad iudicem laicum;* 3) cuiusmodi sit *praescriptum can. 120.* — Hic solum dicimus, ad hos omnes conveniendos necessariam esse veniam Apostolicae Sedis.

c. « *Aliquem ex Legatis Sedis Apostolicae»;* sive sit *Legatus a latere,* idest « Cardinalis qui a Summo Pontefice tamquam *alter ego* cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est »: c. 266 ; sive sit Legatus, qui mittitur cum titulo *Nuntii* aut *Internuntii*, cuius munus ordinarium est fovere, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia, apud quae legatione stabili fungitur: c. 267. — Attamen *Delegati Apostolici* (qui nempe cum hoc titulo mittuntur et, praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas, hanc unam habent ordinariam potestatem, scilicet in territorio sibi assignato advigilandi ad Ecclesiarum statum, et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddendi, c. 267) non videntur comprehendi.

d. « *Aliquem ex Officialibus maioribus romanae Curiae* ». « Curia Romana constat **Sacris Congregationibus, Tribunalibus** et **Officiis,** prout inferius enumerantur et describuntur » : c. 242. — Ergo comprehenduntur in lege, qui, praeter Cardinalem Praefectum, Officiales maiores sunt de iure :

1) **in Congregationibus:** *Sancti Officii,* de qua can. 247 ; *Consistorialis*, de qua can. 248; *De disciplina sacramentorum*, de qua can. 249 ; *Concilii*, de qua can. 250; *De negotiis religiosorum sodalium*, de qua can. 251; *De Progaganda Fide,* de qua can. 252; *Sacrorum Rituum*, de qua can. 253; *Caeremonialis,* de qua can. 254; *Pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis,* de qua can. 255 ; *De Seminariis et Universitatibus studiorum,* de qua can. 256; *Pro Ecclesia Orientali,* de qua can. 257 ;

2) **in Tribunalibus** : *Sacrae Poenitentiariae*, de qua can. 258; *Sacrae Romanae Rotae*, de qua can. 259; *Signaturae Apostolicae,* de qua can. 259 ;

3) **in Officiis** : *Cancellariae Apostolicae*, de qua can. 260;

Datariae Apostolicae, de qua can. 261; *Camerae Apostolicae*, de qua can. 262; *Secretariae Status*, de qua can. 263; *Secretariae Brevium et Epistolarum,* de qua can. 264.

Sunt igitur : a) Adsessor et Commissarius S. C. S. Officii; *b*) Adsessor et Substitutus S. C. Consistorialis; *c*) Praelatus a secretis et Substitutus S. C. Rituum; *d*) Praelatus a secretis et Substitutus S. C. de Seminariis et Universitatibus; *e*) Regens S. Poenitentiariae; *f*) Praelatus a secretis Signaturae Apost. seu Auditor SS.mi; *g*) Praelati Auditores S. Rotae; *h*) Regens et Substitutus Cancellariae Apost.; *i*) Regens et Substitutus Datariae Apost.; *l*) Vice-Camerarius S. R. E. et Auditor generalis Rev. Camerae Apost.; *m*) Substitutus Secretariae Status; *n*) Cancellarius Brevium Apost.; *o*) omnes Praelati a secretis et Subsecretarii aliarum Congregationum.

Attamen necesse est, ut huiusmodi Officiales trahantur ad subeundum iudicium *ob negotia*, sive *peracta* sive *peragenda*, *ad eorum munus pertinentia.* — Si traherentur ob negotia propria *personae,* tunc alia poena esset in trahentes sine debita venia, idest: *a*) *excommunicatio,* de qua n. 74, si quis traxerit Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius* alium a suo, vel aliquem Superiorem Supremum religionum iuris pontificii *sine venia Sanctae Sedis*; aut aliquem e Superioribus ceteris maioribus religionum iuris pontificii *sine venia Ordinarii loci; b*) *poena,* de qua n. 119, si quis *sine venia Ordinarii loci* traxerit aliam personam, inferiorem iis, privilegio fori fruentem.

e. « *Ordinarium proprium* », idest Ordinarium, cuius potestati quis subest. Quinam vero sint *Ordinarii,* cf. n. 6.

Finis igitur excommunicationis huiusmodi est: 1) quod attinet ad *Legatos* Sedis Apostolicae, consulere, ne indirecte ipsa Sancta Sedes ad iudicem laicum trahatur; 2) quod attinet ad S. R. E. *Cardinales,* ut quam maxime consultum sit dignitati eorum, qui « Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt »: c. 230; 3) quod attinet ad Ordinarium *proprium*, ut maxima servetur reverentia auctoritati maximae, quae est nobis post Romanum Pontificem; 4) quod vero spectat ad *Officiales maiores* Curiae Romanae, ne a laicis iudicentur, quae ad Ecclesiam pertinent. Insuper et reverentia Sedi Apostolicae debita ne indirecte quidem violetur. Praeterea nota: « omnes, qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum »; c. 243, § 2.

Ex dictis iam satis patet, quando *causa censurae* in-

tegra sit, et *quinam obnoxii* sint excommunicationi: *a)* causa est integra ex facta compellatione ad *iudicem laicum*, etiamsi sententia absolutionis data fuerit in favorem compulsi, sive in causa poenali sive in causa contentiosa; vel etiamsi compulsus non comparuerit coram iudice et ideo damnatus fuerit in contumacia; *b)* obnoxii sunt excommunicationi quicumque privatorum convenerint. Vid. n. 76, 58.

76. *Quid de nona, quae est contra iniicientes violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, etiam titularis tantum?*

Can. 2343. § 2. « Qui violentas manus iniecerit... in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis: 1.° In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; 2.° Est ipso iure infamis; 3.° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat ».

§ 3. « Qui..... in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ».

Declaratio. a. *Ius vetus;* « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas etc., aut eos e suis territoriis eiicientes; *mandantes, ratihabentes, praestantes* in eis favorem aut auxilium ». *Ius novum* ea una locutione: « *iniicientes manus* » delicta iuris veteris omnia amplectitur, tuetur enim *personam, libertatem et dignitatem*, ut dictum est supra n. 58; *mandantes* puniuntur de regula generali, vid. n. 67 et 10; *praestantes* favorem aut auxilium plectuntur ex eadem regula, si egerint ex communi consilio et opera physica, aut si favorem vel auxilium tale praestiterint, sine quo delictum non fuisset commissum; *ratihabentes* vero de regula generali novi iuris excluduntur.

b. *Infamia* quid importet, vid. n. 144.

c. *Plura* ad interpretationem censurae videantur superius, n. 58.

Adn. *Ubi agatur solum de iniuriis,* accipe ius: can. 2344. « Qui *Romanum Pontificem,* S. R. E. *Cardinalem. Legatum* Romani Pontificis, *Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia* Sedis Apostolicae eorumque *Officiales maiores, proprium Ordinarium* publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte *iniuriis* affecerit, aut simultates vel odia contra eorundem *acta, decreta, decisiones, sententias* excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur ».

77. *Quid de decima, quae est in usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia?*

Can. 2345. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae ; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad ea declarentur.

Declaratio a. *Ius vetus*: « invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, Civitates, Terras, Loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes ».

Ius novum : 1) delicta, quae iam patrata sunt, nec habent tractum successivum (*invasio, destructio, perturbatio*), omittit ; 2) non solum bona maioris momenti *(Civitates, Terras, Loca)* ab usurpantibus vel detinentibus vindicat hac censura, sed *omnia bona temporalia* etiam minoris momenti, quae sint Ecclesiae *Romanae* propria, sive corporalia (immobilia et mobilia) sive incorporalia: 3) item omnia iura temporalia tueri contendit, a minimo, quod Ecclesiae Romanae sit, ad maximum, quod ei competit, scilicet supremae iurisdictionis civilis in proprium civilem principatum; 4) punit nominatim *usurpantes* et *detinentes dumtaxat ;* sed *mandantes* et *cooperatores* ex communi consilio et opera, aut ex tali influxu, sine quo delictum *usurpationis* aut *detentionis* non daretur, comprehenduntur ex regula generali (n. 10).

b. « *Usurpantes* » sunt, qui bona aut iura Ecclesiae Romanae ipsi *Ecclesiae* abstulerint auctoritative et quasi ad se perti-

nentia quovis de titulo seu praetextu egerint, sive laici, sive clerici, sive privata sive publica auctoritate.

c. « *Detinentes* » dicuntur, qui eadem bona vel iura, *ab usurpatoribus* immediate vel mediate, quovis de titulo accepta, tenent seu occupant, tamquam ad se pertinentia. *D'Annib.* n. 91; *Baller.* – *Palm.* n. 435.

d. « *Sive per se, sive per alios* », quis usurpaverit vel detineat. Profecto solum *usurpator* et *detentor* sunt censurae obnoxii, non milites, per quos quis usurpaverit vel detineat.

e. « *Bona et iura* », idest bona *temporalia* et iura *civilia* cuiuscumque generis quidem, ut dictum est supra; sed tamen quae sint pertinentia non ad Ecclesiam Catholicam, cuius Caput et Summus Pontifex est Episcopus Romae, sed pertinentia *ad Ecclesiam Romanam, cuius* Episcopus Romanus et Summus Pontifex est *princeps* seu *rex.* Et non solum bona et iura possessa hac censura defenduntur, sed etiam ea vindicantur, quorum dominium legitimum est Ecclesiae, licet ab aliis iam usurpata fuerint et detineantur.

Finis huius censurae est, integrum inviolatumque tueri « temporale dominium R. Pontificis et Apostolicae Sedis » (Manuale theoretico-practicum etc., Fr. A. Tavani Romae, 1906), cum suis bonis et iuribus propriis, ea scilicet « iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu » quae « integra atque strenue adserere et vindicare nunquam desistet » ex iuramento quisque electus Romanus Pontifex. Cf. Const. Pii X *Vacante Sede* c. II, nota 1, Formula iuramenti. — Idcirco 1) *si agatur de bonis ecclesiasticis,* quae in Ecclesia Romana sunt, non huic censurae locus est; sed qui talia bona in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire, ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos de iure pertinent, percipiantur, excommunicationi alteri obnoxius est, de qua can. 2346; et vid. n. 62; 2) *si vero agatur de libertate aut de iuribus Ecclesiae Catholicae* violatis per leges, decreta, mandata, aut de *impedito exercitio iurisdictionis*, item non huic censurae locus est, sed alteri, de qua can. 2334; et vid. n. 74. Etenim bona *ecclesiastica* talia sunt aeque in Romana Ecclesia ac in Patavina aut Vicetina; et libertas Ecclesiae competens eiusque iura (de quibus vid. n. 74 *d*) ex Christi institutione eadem sunt ubique locorum; unde etiam una eademque lege seu censura aeque sunt defendenda.

Unde: 1. **Causa integra** huius censurae est: *a)* ex usurpatione, *b)* aut ex detentione bonorum temporalium cuiusque generis, vel etiam iurium civilium cuiuscumque

generis pertinentium ad Ecclesiam Romanam, prout dictum est supra.

2. **Causa non integra** esset: usurpatio aut detentio aliorum bonorum ecclesiasticorum; aut violatio iurium Ecclesiae Catholicae, etsi bona ecclesiastica, quae usurpantur, sint Romae, et Romae violentur libertas Ecclesiae Catholicae eiusque iura.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa, *usurpantes, detinentes,* ut superius dictum est; cooperatores ex consilio et opera communi, vel ex tali influxu, sine quo delictum non esset commissum.

4. **Obnoxii non sunt** bona eadem destruentes, perturbantes, furtim subtrahentes, possidentes cum venia Ecclesiae.

78. *Quid de decimaprima, quae est in fabricatores vel falsarios litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae?*

Can. 2360, § 1. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

§ 2. Clerici delictum, de quo in § 1, committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt: religiosi autem priventur omnibus officiis, quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.

Declaratio. a. *Ius vetus* excommunicationi *speciali modo* R. P. reservata puniebat *falsarios, falso publicantes, falso signantes;* et excommunicatione *simplici modo* reservata *scienter utentes* et huic crimini *cooperatores.* — *Ius novum* delinquentes hac in re omnes una eademque lege ac censura coercet.

b. « *Omnes fabricatores* ». Fabricator est qui *ex novo* facit, instituit. — Plectuntur *omnes,* scilicet quotquot cooperati fuerint et cuiuscumque sint dignitatis, Cardinalibus exceptis.

c. « *Falsarii* » dicuntur, qui litteras vel decreta vel rescripta iam *legitime* instituta seu data et adhuc vim propriam retinentia, *falsant formaliter,* idest scientes et volentes, et *substantialiter,* scilicet aliquid in eis mutando, vel illis addendo, vel ab eis demendo, quo eorum sensus mutetur aut efficacia graviter augeatur vel minuatur, liceat nemini grave damnum re vera sequatur, aut commodum.

d. « *Litterarum* », quavis forma datae fuerint: « *decretorum aut rescriptorum* », quidquid spectaverint, sive gratiam sive iustitiam; « *Sedis Apostolicae* », idest sive Romani Pontificis, sive Congregationum aut Tribunalium aut Officiorum Curiae Romanae: c. 7.

e. « *Scienter utentes* » ; praesumptio hic requiritur ad delictum; unde excusant a censura ignorantia etiam crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.°

Unde: 1. **Causa integra** censurae est: *a)* ex fabricatione litterarum, decretorum, rescriptorum cuiuscumque generis, quae dentur nomine Romani Pontificis aut alicuius Congregationis vel Tribunalis vel Officii Curiae Romanae (vid. n. 75, *d*); *b)* ex formali et materiali corruptione substantiali litterarum, decretorum, rescriptorum, quae sint a Romano Pontifice vel a Curia Romana iam promulgata vel legitime data et adhuc vigentia; *c)* ex eo quod quis sciens nullam esse vim huiusmodi litteris, decretis, rescriptis fabricatis vel falsis, tamen volens eadem exhibet ad effectum eorum, sive pro se sive pro aliis, effectu secuto.

2. **Causa non integra** est: *a)* ex levi vel accidentali mutatione inducta; *b)* ex inducta mutatione substantiali, sed sine gravi culpa; *c)* ex mutatione substantiali actorum ecclesiasticorum, quae non sint Apostolicae Sedis; de his tamen fabricatoribus vel falsariis vid. infra adn. a; *d)* ex usu actorum fabricatorum S. Sedis, qui fiat a non sciente aut a non sponte volente; *e)* ex voluntaria et libera exhibitione horum actorum falsorum, si nullum effectum sortiantur, quia, e. g., dignoscuntur falsa et reiciuntur.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a) fabricatores,* statim ac fabricaverint; *b) falsarii,* statim ac falsaverint; *c) scienter et sponte utentes* huiusmodi actis

falsis, tam pro se, quam pro aliis, effectu secuto. Et si ita usi fuerint ipsi fabricatores aut falsarii, utramque excommunicationem incurrunt seu bis hac censura innodantur : sive privatae fuerint personae, sive publicae seu officiales.

4. **Obnoxii non sunt** : *a*) qui fabricationem solum attentaverint, vel litteras falsas statim ac confectas destruxerint ; *b*) qui frustra uti conati fuerint iisdem falsis actis : *c*) qui iisdem usus sit ignorans aut coactus ; *d*) fabricatores, falsarii actorum ecclesiasticorum parochi, Episcopi, Curiae episcopalis, Legatorum Apostolicorum, Nuntiorum : vel iisdem utentes.

Adn. a. Can. 2362. Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can. 2406, § 1.

Can. 2406, § 1. Quicumque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur.

b. Can. 2361. Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45; 1054.

Can. 45. Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula: *Motu proprio,* valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can. 1054.

Can. 1054. Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.

c. Quidam (D'Annib., Ballerini, Cavigioli, n. 112) opinantur quod ad censuram necesse sit ut, si litterae etc. *alterius* intersint, falsificatio graviter noceat aut nocere possit, secus nulla esset censura. Sed haec opinio in iure novo non videtur sustinenda : *Cappello* n. 100, potissimum quia censura datur non propter damnum, quod ex falsificatione sequatur, sed propter iniuriam et contemptum auctoritatis apostolicae ; ut patet ex titulo XIV Codicis et ex salvo praescripto can. 45, 1054.

79. *Quid de decimasecunda, quae est in falso denuntiantes confessarium de crimine sollicitationis ?*

Can. 2363. Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894.

Declaratio. a. *Ius novum* est. Antea peccatum falsae et calumniosae denuntiationis apud iudices ecclesiasticos erat quidem reservatum specialissimo modo Sedi Apostolicae, sed nulla censura latae sententiae puniebatur. Nunc censura est in falso denuntiantes apud *Superiores,* remanente peccato reservato sine censura, quod erat in iure antiquo et quod nunc continetur in praescripto can. 894, scilicet: « unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos ».

b. « *Si quis per seipsum vel per alios* » ; hoc explicatur Const. *Sacramentum Poenitentiae,* quae dicit: « quoniam improbi quidem homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud iudices falso sollicitationis insimulant » etc. — Iamvero in casu non solum *procurator, sed et qui* eius cura seu mandato seu influxu denuntiat, obnoxius est censurae.

c. « *Confessarium de sollicitationis crimine* ». Huiusmodi crimen, in quo consistat et quibus in casibus habeatur, vid. n. 45. Hoc unum hic notamus, non esse locum censurae (nec reservationi peccati), si agatur de calumniosa accusatione sollicitationis ad turpia, quae sit facta *extra* confessionem, vel *sine relatione* ad confessionem, quomodocumque et quantacumque fingatur.

d. « *Apud Superiores* », scilicet apud quos denuntiatio est de praescripto canonis 904 facienda, hoc est, apud loci Ordinarium, vel S. Congregationem S. Officii, verbis aut scriptis nomine proprio subsignatis. Quam ob rem non est locus censurae, si falsa denuntiatio fiat solum parocho aut Vicario Foraneo, nisi hi denuntiationem recipiant ex delegatione Ordinarii aut Sancti Officii.

e. « *Falso denuntiaverint* »; quod duo importat: *a*) ut crimen

sollicitationis non exsistat; *b)* ut denuntiantes sciant, confessarium esse innocentem ab hoc crimine. — Si crimen adsit vere consummatum, non datur locus censurae, etsi denuntians putaverit crimen non esse vere consummatum, et ex odio, ex vindicta, ex alienis suasionibus denuntiaverit; item si putaverit vere dari delictum, ac proinde se verum delictum denuntiare, quum de facto delictum nullum sit.

f. « *A qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit* ». — Delinquens huiusmodi obligationem sane gravem habet adimplendam, quam ignorare nequit; unde confessarius eam urgere tenetur, tamen cum discretione. Unde censuerim:

In periculo mortis haec retractatio fiat modo, quo fieri potest; per scripturam, etiam ab ipso confessario exaratam, dummodo saltem subscripta fuerit ab infirmo; vel verbis coram duobus testibus, puta ipso sacerdote adsistente et alia persona, qui valeant postea factam retractationem referre Ordinario vel Sancto Officio, scilicet cui prius allata fuit falsa denuntiatio.

In casibus urgentioribus, in quibus absolutio sine *infamia* aut *scandalo* nequeat differri usque dum retractatio fuerit formaliter facta coram Superiore, poterit legi satisfieri per retractationem scriptis factam et confessario relictam, clausam et obsignatam, vel saltem bene clausam, ut ipse eam ad Superiorem afferat quam primum. Si id praestari non possit, *seria promissio* admittatur sufficiens. Assentit *Sole,* p. 345.

In casu, qui urgentior censeatur solum eo quod durum sit poenitenti remanere interea in statu peccati, legi standum est ad litteram, nec danda est absolutio priusquam poenitens verbis aut scriptis denuntiationem rite retractaverit coram Superiore, qui eam receperat.

In casu ordinario, idest periculo mortis et casibus urgentioribus remotis, confessarius, antequam absolvat, exigat factam retractationem, ut ius explicite praescribit.

g. « *Et damna, quae inde secuta sint, pro viribus reparaverit* », de facto vel saltem serio promiserit compensare. *Damna* cuiuscumque generis, sive bonorum fortunae, sive famae et honoris. *Pro viribus* dicitur, quia *damna spiritualia,* quae, e. g., secuta sunt ab illata suspensione ab officio aut etiam a confessione, profecto non poterunt ad aequitatem compensari.

h. « *Imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia* ». Poenitentia quaenam sit censenda *gravis* et quaenam *diuturna,* vide n. 182.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex facta apud

legitimum Superiorem, idest apud Ordinarium loci, aut S. Officium aut horum delegatum, sive verbis, sive scriptis nomine proprio subsignatis, denuntiatione materialiter et formaliter falsa de delicto sollicitationis ad turpia in confessione aut cum relatione ad confessionem.

2. **Causa non integra** est : *a*) si calumnia sit de sollicitatione facta sine circumstantia confessionis necessaria ad delictum sollicitationis, de qua ius ; *b*) si desit conscientia falsitatis in delinquente ; *c*) si sollicitatio vere facta fuerit atque a Superiore comperta, etsi denuntiator existimaverit se non de vero crimine denuntiare ; *d*) si falsa denuntiatio *certe et nullo prorsus modo* fuerit a Superiore admissa. Attamen, in dubio, contrarium est praesumendum.

3. **Obnoxii sunt** excommunicationi denuntiantes, mandantes et cooperatores ex tali influxu, sine quo delictum non fuisset commissum.

Adn. a. *Ferreres,* II, n. 672, *Sole,* n. 416 aliique, non attendentes, quod censura est in falso denuntiantes apud *Superiores,* et peccatum, *ratione sui* reservatum, est falsa delatio apud *iudices ecclesiasticos,* utrumque confundunt, et dicunt peccatum falsae denuntiationis esse reservatum, etiamsi censura ob aliquam causam excusantem non incurratur a delinquente. Verum, ut notat *Monitore eccl.* a. 1919, p. 149, ius novum plane distinguit inter delictum et delictum. Et si agatur de denuntiatione apud *Superiores,* vitata ob causam excusantem censura, peccatum non est reservatum, nec censura incurritur ab impubere ; si vero agatur de delatione ad *iudices ecclesiasticos, per se,* peccatum est reservatum sine censura et reservatio tenet etiam impuberem. Dicitur *per se,* quia non videmus, quomodo quis sustinere possit *in iudicio coram iudicibus* delationem, quam ipse prius non fecerit apud *Superiores* canonice designatos.

Quid si delinquens ex falsa delatione apud *iudices,* ignoraret reservationem peccati ? Pro nostra opinione ignorantia (quae hypothetice tantum consideratur, in casu enim exturbaretur ab ipso iudice praemonente), a reservatione non excusaret. Sunt qui contrarium tenent, quia ex canone 899, § 1 et instr. S. Off. 13 iul. 1906 iamnunc deducitur scientiam reservationis requiri ad reservationem. Sed responderi potest, quod tale peccatum, *ratione sui* ab Apostolica Sede sibi reservatum, non videtur diiudicandum ad normam iuris communis, quod datum est de reservatione *ab Or-*

dinariis constitutam ad bonum commune dioecesium; sed potius diiudicandum ad normam iuris particularis, quod est de illo in constit. *Sacramentum Poenitentiae;* ubi legimus : « ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona huiusmodi flagitio se inquinaverit.... a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis Nostrisque Successoribus, *nisi in fine* vitae, *et excepto mortis periculo,* spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, *perpetuo careat* ». — Sunt etiam alii qui malunt adhaerere sententiae probatorum auctorum ante Codicem exstantium et dicentium, Constitutione *Sacr. Poen.* inspecta, legem habere *naturam legis poenalis,* ideoque ignorantiam excusare a reservatione. Sed responderi potest quod, etiamsi velimus admittere in reservatione *poenam* et in lege huiusmodi reservationis *naturam legis poenalis*, tamen hodie, Codice dato, tenendum est delinquentem non excusari a poenis vindicativis latae sententiae, nec ab ignorantia crassa, nec ab ignorantia vincibili, saltem quando lex non exigit praesumptionem. In casu autem nec lex exigit praesumptionem, nec esse potest qui reservationem inter poenas medicinales legere queat. Ceterum non sine causa Legislator delictum a delicto distinguit. Quod denuntiatio falsa fiat apud Superiores, delictum est censura plectendum; sed tandem nullum malum sequi potest innocenti; unde, licet contracta sit censura, poenitens absolvatur in casu urgentiori etiam ex sola promissione retractationis. Sed falsa delatio ad iudices delictum maius est, exinde iam damna sequuntur innocenti; unde oportet quod compensatio malorum non pendeat a prudentia confessarii vel a promissione poenitentis, sed securius innocentiae laesae consulatur; et sic peccatum fiat reservatum *ratione sui.* Quae phrasis non tantum dicit oppositionem reservationi peccati *ratione censurae* adnexae, sed etiam distinctionem a reservationibus illis, quas Ordinarii statuere censuerint *ratione boni communis* ad normam iuris.

Art. VI. - *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae specialissimo modo.*

80. *Quot sint et quid de illis generatim tenendum.*

R. 1.° **Sunt quatuor**; et ab eis absolvere, potest Superior, qui ab Apostolica Sede facultatem *specialissimam*

habitualiter impetraverit absolvendi a reservatis Apostolicae Sedi. *Cardinales* quoque tali specialissima facultate indigent, ut ab huiusmodi excommunicationibus absolvere valeant.

2.° **Simplex confessarius:** *a)* urgente mortis periculo potest ab eis absolvere de iure; sed poenitens tenetur obligatione recurrendi, si convaluerit: cf. n. 24; *b) in casibus urgentioribus,* potest item absolvere, sed imponere debet poenitenti onus recurrendi intra mensem sub poena reincidentiae, et standi mandatis: cf. n. 25; *c)* periculo mortis et casibus urgentioribus remotis, confessarius simplex nunquam valide absolvit, licet agat ignorans; et si absolvere *praesumpserit,* in excommunicationem incurrit, de qua n. 56.

3.° **Qui** communi consilio delinquendi simul physice concurrerint in delictum; **et mandantes et qui** alium, etiam impuberem, ad delicti consummationem inducunt *tali influxu, sine quo* delictum commissum non fuisset, singulis excommunicationibus sunt subiiciendi, quamvis in lege excommunicationis non nominentur expresse. Cf. n. 10.

4.° **In iure antiquo,** nomine tenus saltem, maximae excommunicationes erant quae Ap. Sedi erant reservatae *speciali modo.* Ius novum *specialissimum* modum reservationis invexit ad aliquot crimina maxime atrocia compescenda.

81. *Qui de prima, quae est in delinquentes contra Sacramentum SS. Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi?*

Can. 2320. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus.

Declaratio. a. *Ius novum* est, quod, lectum, cor et lacrimas movet.

b. « *Qui species consecratas* », sive panis, sive vini quolibet

ritu valide consecratas, licet sacrilege extra missam. — Delinquens profecto debet esse *baptizatus;* sed non requiritur, ut ipse fidem in SS. Sacramentum habeat; satis est, ut noverit fidem huiusmodi esse nobis fidelibus. Oportet tamen, ut agatur de speciebus vere consecratis, non de consecratis falso, aut de pane solum oblato.

c. « *Abiecerit* » a tabernaculo, a ciborio, a loco custodiae aut honoris, ab ore, per viam, per terram, in locum inhonorae aut nullius custodiae, sive ex impietate, sive ex incredulitate, sive ex despectu aut nulla existimatione. Pro mea opinione non esset *abiiciens* species, qui in species consecratas, puta SS. Hostiam expositam publicae venerationi, aliquid iactaret; sed utique ille, qui manu detraheret et in terram proiiceret. Nec esset *abiiciens* species, qui furatur pyxidem et particulas eiusdem accurate in tabernaculo reconderet aut super mensam accurate funderet; sed utique fur, qui particulas pyxidis iactaret super gradus altaris, aut super mensam disperderet. Et *abiiciens* species esset, qui ad altare conscendens, dum celebratur Missa, Calicem consecratum verteret seu effunderet sive super terram sive super mensam altaris. Verba iuris nimium sane coartantur a *Pighi* n. 36, ut notat etiam *Cavigioli* n. 65.

d. « *Vel ad malum finem abduxerit* »; idest *a loco,* ubi sacrae species, in casu, *legitime sunt,* puta tabernaculo, altari, manibus ministri, cubiculo infirmi, ore communicantis, tulerit et portaverit alio cum intentione aut etiam solum cum cognitione mali usus. — Et sic *abducens* est, qui particulam consecratam furto aut ficta communione subtrahit, ut alii abutantur ea, sive pretio repenso, sive gratis agat, immo etiam si malus usus aliorum non certe sed solum in confuso a subtrahente praevideatur. Non vero si quis abduxerit ex fine obiective vel subiective bono, ut si quis ageret ex nimia devotione.

e. « *Aut retinuerit* », sive per se sive per alios, ad *malum finem* seu scopum, sive a se sive ab aliis intentum, etiamsi finis tandem non attingatur. — Iamvero *retinens* sacras species esse potest tum persona, quae prius easdem abduxit, tum persona alia seu diversa. Si una eademque est persona *abducens* et *retinens*, haec duplici de causa obnoxia est censurae, hoc est duas contrahit excommunicationes. Cl. *Sole* p. 241 contradicit. « Sed nostro iudicio, ait, si una eademque est persona abducens et retinens, unam tantummodo contrahit excommunicationem. Etenim in canone censura infligitur, non contra illum; qui species consecratas tantummodo abduxerit aut retinuerit, sed contra illum, qui *ad malum finem* abduxerit aut retinuerit. At quomodo species consecratas abducens poterit ipsis abuti, quin ipsas retineat? » Sed responderi potest, quod triplex classis delinquentium censura plectitur: *a*) co-

rum, qui *abiiciunt; b*) eorum, qui ad malum finem *abducunt; c*) eorum, qui ad malum finem *retinent; delictum* enim consummatum est sive ex *abiectione,* sive ex *abductione*, sive ex *retentione ;* nec requiritur ut *dolus* retinentis sit distinctus ac diversus a dolo *abducentis;* « censura autem non solum diversae, sed etiam eiusdem speciaci potest in eodem subiecto multiplicari ; et censurae latae sententiae multiplicantur: 1.° si *diversa delicta,* quorum *singula* censuram secum ferunt, eadem vel distincta actione committantur » : c. 2244, § 1, 2. Procul dubio consideranda est *talis* retentio, quae non sit confundenda cum abductione, sed sit ex tractu temporis successivo, ex quo *actio* retentionis habeatur distincta ab actione abductionis. — Tandem si persona quaedam abductas ab aliis sacras species recipiat et retineat *ad bonum finem,* puta ad eas sacerdoti deferendas, vel interea ad eas impiis eorumque malo fini occultandas, profecto non censura sed laude et merito digna est.

Unde : 1. **Causa integra** excommunicationis, est: *a)* ex iactura sacrarum specierum sive panis, sive vini consecrati, quocumque malo animo id fiat ; *b)* ex abductione illarum de loco legitimo quolibet, ad scopum malum, sive a se sive ab aliis intentum; *c)* ex illarum retentione, sive per se, sive per alios, ad malum scopum, sive a se sive ab aliis intentum, etiamsi malus finis tandem non attingatur.

2. **Obnoxii sunt** excommunicationi, ex integra causa: *a)* abiicientes, sive priores, qui species consecratas abiecerint de loco sacro, sive posteriores, qui easdem in loco abiectionis et inventas consecratas noverint, et iterum positive abiecerint; *b*) abducentes ; *c)* retinentes.

3. **Obnoxii non sunt,** qui easdem species consecratas malo usu profanaverint. — Agitur plerumque de personis, quae sunt sectis massonicis addictae et plenae iam odio ac furore contra Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, quem iterum crucifigere et eradicare vellent de omni terra deque omni corde.

Adn. Delinquentes ex abiectione, abductione, retentione sunt praeterea ipso iure suspecti de haeresi et infames.

Cf. pro *suspicione* de haeresi n. 69 ; pro *infamia* n. 144, pro *degradatione* cf. n. 151.

82. *Quid de secunda, quae est contra iniicientes violentas manus in personam Romani Pontificis?*

Can. 2343, § 1. Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit: 1.° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus; 2.° Est ipso iure infamis; 3.° Clericus est degradandus.

Declaratio a. *Hoc iure noviter* inducto sacrilegium in personam Romani Pontificis maximis ac iisdem poenis ecclesiasticis punitur, quibus punitur sacrilegium per abiectionem, abductionem, retentionem SS. Sacramenti, in quo continetur vere, realiter, substantialiter, personaliter Iesus Christus, cuius Romanus Pontifex est Vicarius. Et *abiectio, abductio, retentio* Romani Pontificis delictum *iniiciendi violentas manus* sane complent.

b. « *Manus violentas iniicere* » quid significet *canonice,* in ordine ad censuram contrahendam, vid. n. 49.

c. « *Vitandus* »; et idcirco subest excommunicationis effectibus, qui dicuntur. n. 39.

d. « *Infamis* »; de hac poena vindicativa vid. n. 144.

e. « *Degradandus* »; de degradatione cf. n. 151.

Deus ipse tantum delictum avertat a nobis; quia sicut populo Hebraeo maxima poena inflicta est, ex eo quod Scribae et Pharisaei *manus violentas iniecerunt* in Iesum Christum, populo ipso connivente; ita quidem maxima poena populum Christianum manebit, si, eo connivente, novi Scribae et Pharisaei *manus violentas iniecerint* in Iesu Christi Vicarium.

Adn. *Ad iniurias ceteras* quod attinet, vid. c. 2344, seu n. 76, adn.

83. *Quid de tertia, quae est in absolventes complicem in peccato turpi?*

Can. 2367, § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura in-

famia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recuset alteri confiteri.

§ 2. Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur; sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est.

Declaratio. a. *Ius vetus* non multum differt a novo; *novum* explicite ea etiam refert et continet, quae in veteri erant ex probatorum auctorum interpretatione et ex decretis S. Off. 10 dec. 1883, S. Poenit. 19 feb. 1896, S. Off. 13 ian. 1892, et omittit exigere praesumptionem.

b. *Excommunicatione* plectitur violatio legis ecclesiasticae gravissimae, quae in Const. *Sacramenti Poenitentiae* sic plane legitur: « Auctoritate Apostolica et Nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus exstitit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam ipso facto incurrat ».

Ex dictis, ad securius procedendum, colligamus: 1) **ius unum** esse, quod confessarium *privat iurisdictione* in complicem in peccato turpi; 2) **et ius esse alterum,** quod confessarium absolventem vel fingentem absolvere punit excommunicatione.

Ratione primi iuris, absolutio data complici in peccato turpi extra articulum mortis *est semper invalida,* independenter omnino a confessario, quia nulla est illi iurisdictio et nulla esse potest ex voluntate Ecclesiae ita disponente. — Ad rem ita *D'Annibale,* II, n. 324: « absolutio complicis in peccato turpi nullius momenti est, *licet confessarius absolverit inscius seu reservationis seu poenitentis,* quem forte non agnoverit ». Quod tamen ita fac intelligas: absolutio est nullius momenti seu invalida *totaliter,* si poenitens ei subiecerit turpe peccatum complicitatis dumtaxat; sin

cum hoc peccato alia etiam peccata absolutioni subiecerit, absolutio erit invalida super peccato complicitatis, sed valida super ceteris peccatis, *bona fide et sufficienti dispositione suppositis in poenitente;* qui proinde discedit iustificatus *indirecte* etiam a peccato complicitatis, remanente poenitenti obligatione hoc peccatum accusandi, cum noverit, confessario, qui valeat illud *directe* remittere. — Et quandam quaestionem videamus ex *Bucceroni.*

« *An sacerdos dubitans, utrum poenitens sit eius complex, illum absolvere possit?* — R. Affirmative. *Gury,* Cas. 619. Ratio; quia praesumendum non est, prudenter legislatorem voluisse confessarium *iurisdictione* privare cum tanto dubio circa rem ex una parte, et tanto famae detrimento et novo forte scandalo ex altera. Igitur casus praesens recidere videtur in quaestionem *iurisdictionis probabilis* vel *dubiae,* in qua, stante gravi causa, probabilius absolvere licet ».

Ita *Bucceroni,* II, n. 1294. — **Hodie,** quando casus in genere mihi contingit *iurisdictionis dubiae* seu *probabilis* ex positivo dubio, sive iuris, sive facti, non solum probabilius possum absolvere, sed certum est, quod valide absolvo, canone 209 exstante, quo Ecclesia dicitur supplere. **Nihilominus** sententiae *Bucceroni* adhaerere in casu nequimus hisce de causis; *quia* verba Constitutionis et canon 884 legislatoris voluntatem *manifestant,* et idcirco *praesumptioni* locus dari nequit; *quia* « absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo » vi legis specialis, can. 884, *casum confessarii complicis* considerantis; sed casus, a communi lege *exceptus,* nequit ipsa lege comprehendi; et proinde casus absolutionis complicis reduci nequit ad eam, quae olim erat quaestio, nunc autem lex est (c. 209) *de probabili iurisdictione,* qua licet absolvere ex supplemento Ecclesiae; *quia* exceptio, practice, nulli incommodo est confessario, qui in casu dubio, nulla lege tenetur inquirere veritatem et sic prodere semetipsum et scandalum dare poenitenti; sed, exstante dubio, *licite* potest absolvere *in quantum potest,* nec excommunicationem contrahit. Poenitenti autem rite disposito absolutio: *a*) erit *plenae remissionis omnium peccatorum,* si non est eius complex; *b*) erit *remissionis directe* ceterorum peccatorum et *indirecte* peccati complicitatis, si alia quoque peccata accusaverit; *c*) erit denique *nullius remissionis,* si solum peccatum complicitatis attulerit; et tamen ipse poenitens iustificabitur postea per susceptionem Communionis. — *Praeterea,* si absolutio complicis in peccato turpi, data *ex ignorantia et bona fide,* invalida est, ut dicitur ab ipso *Bucceroni* n. 1293 (et hodie certum est, *quia* ignorantia legis aut poenae non excusat a poena vindicativa: c. 2229, § 3, 1°), nonne a fortiori invalida dicenda est, quae da-

tur cum *dubio?* Etenim id unum tandem adiicimus: si absolutio data cum dubio, etiam vere probabili, haberi possit, praeter quam *licita*, etiam *valida*, lex ipso fine suo frustrata multum maneret; quia quisque confessarius complex facile sibi dubiam absolutionem iudicaret.

Ratione iuris secundi, confessarius, qui, extra mortis articulum simulque casum necessitatis, complicem in peccato turpi absolvere *voluerit*, punitur excommunicatione. — Disciplina autem huius excommunicationis potissimum ex canone praesenti accipienda est.

c. « *Absolvens* » dicitur, qui formam absolutionis pronunciat cum voluntate avsolvendi; « *fingens absolvere* » est tum qui formam profert sine voluntate *absolvendi,* tum qui formam absolutionis non profert, sed tamen adeo se dictis vel factis gerit cum poenitente, ut *is merito existimet* se absolutionem recepisse. Ut confessarius, audita confessione complicis, excommunicationem effugiat, debet impedire ne poenitens discedens se credat absolutum.

d. « *Absolvens vel fingens absolvere* »; lex igitur *praesumptionem* non postulat, et idcirco ignorantia *vincibilis* a censura excusat, sed non excusat *crassa* seu *supina.* Et habetur decretum S. Off. 13 ian. 1892. *Affectata,* ut notum est, a nulla unquam censura seu poena excusat. — « *Absolvens vel fingens absolvere* » cuiuscumque dignitatis fuerit, et quolibet privilegio seposito»: Const. « Sacramentum Poenitentiae ». Soli Cardinales non comprehenduntur.

e. « *Complicem in peccato turpi* ». *Complex* esse potest tam femina quam vir, etiam impubes, et quamvis cum eis sacerdos peccaverit ante susceptum Ordinem: *S. Poenit.* 22 ian. 1879. Sed **duo** requiruntur: - 1) ut *complex* fuerit talis *formaliter,* non solum *materialiter*; unde *complex* est mulier, quae in peccatum consentit, vel permittit in se etiam ex omissione debitae resistentiae, sed *non est complex* mulier cum ebria, dormiens, amens, omnino invita turpia passa fuerit; – 2. ut agatur de peccato *turpi, contra sextum* Decalogi praeceptum, quod fuerit: *a*) *grave* non solum ex malitia interna sed etiam ex actione externa, sive copulae, sive tactus, sive adspectus, sive osculorum, sive colloquii: *S. Off.* 28 maii 1873; - *b*) *grave* formaliter et materialiter *ex utraque parte,* scilicet sacerdotis et complicis licet unus agat et alter solum permittat; - *c*) *et certe grave* formaliter, materialiter et ex utraque parte, — Unde non daretur *complicitas,* de qua lex censurae, si actio externa esset *leviter turpis;* e. g., tactus in partibus minus honestis iuxta distintionem theologorum; nec si in alterutro peccante peccatum fuerit *veniale* ex defectu gravis malitiae internae.

Complicitas autem in peccato turpi attenditur non solum in confessione vel in occasione aut praetextu confessionis (quibus in casibus complex teneretur sub poena excommunicationis denuntiare confessarium : cf. n. 45) ; sed attenditur *in quovis loco ac tempore* contigerit.

f. « *Absolvere vel fingens absolvere complicem in peccato turpi* » ; fac intelligas de absolutione vera vel ficta a peccato turpi, *in quo confessarius poenitentem habuit complicem* ; ita ut confessarius, extra articulum mortis et simul casum necessitatis, nequeat absolvere ab eo, sive afferatur ut materia *necessaria,* sive afferatur ut materia *libera*, seu *sufficiens*, sive etiam *remissum* sit per actum contritionis perfectae certum ; attamen posset eumdem poenitentem (postquam rite a peccato complicitatis fuerit per alium confessarium absolutus) in sequentibus confessionibus absolvere ab aliis peccatis, immo etiam a simili peccato turpi, quod poenitentem cum alio sacerdote complice patraverit.

g. « *Idque etiam in mortis articulo* » etc. — « Absolutio complicis in peccato turpi *invalida* est, praeterquam in mortis periculo ; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii *illicita* ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 iun. 1741 » : c. 884. Unde absolutio complicis in articulo, vel etiam in *periculo* mortis, ut omnes communiter docent, est semper *valida, et licite* etiam semper petitur ab infirmo ; id Ecclesia concedit infirmo, *ne pereat.* Sed confessarius non nisi in quibusdam circumstantiis licite confessionem audit et absolutionem impertit infirmo complici, scilicet ; *a*) si nullus alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, adsit ; *b*) si, quamvis alius adsit sacerdos, complex nequit sine gravi periculo infamiae aut scandali exorituri confessionem sacramentalem complicis non recipere ; *c*) si infirmus complex recuset alii confessario confiteri. Intercedente una ex his circumstantiis, datur ille *casus necessitatis,* quo absolutio licita est etiam ex parte confessarii. Iamvero excommunicatio a confessario contrahitur quando absolutio *non licita est ex parte confessarii ;* non contrahitur, quando absolutio *est licita etiam ex parte eiusdem.*

« *Articulus* mortis in hoc distinguitur a *periculo* mortis, quod articulus mortis proximitatem *certam,* periculum mortem instantem *probabilem* denotet ». Ita *Bucceroni*, II, n. 1286. Profecto *casus necessitatis* continget facilius in articulo, quam in periculo mortis. — Et hoc etiam ad rem est notandum : confessarium complicem teneri sub gravi ad *casum necessitatis,* idest ad periculum grave infamiae aut scandali exorituri vel etiam reluctantiae infirmi, pro viribus praecavendum vel avertendum, e. g., discedendo ad

tempus, vel hortando infirmum ut alteri sacerdoti velit confiteri. Si id curare negligenter omiserit, vel periculum infamiae aut scandali sibi confinxerit, illicite absolvet et excommunicationem non effugiet. *Benedictus XIV.* Const. « Apostolici muneris ».

h. « *Eandem excommunicationem* etc., *sive directe sive indirecte inductus est* ». Sacerdos complicem ad omittendum peccatum complicitatis inducit *directe,* quando illi dicit, suadet, iubet, ne de peccato verbum faciat in confessione ; *indirecte*, si illi dixerit actionem non esse graviter malam, vel sibi iam notam et proinde non esse necessario in confessione exprimendam, vel se non posse absolvere a tali peccato, quod ille voluerit accusare, aut poenas dixerit, quae sibi essent ex data absolutione; etiam si confessionem eius interrumpat, quasi nihil aliud sit poenitenti dicendum seu declarandum. — In uno tantum casu confessarius complex poterit *excommunicationem* vitare: si poenitens peccatum complicitatis omiserit *totaliter ex se et sine ullo influxu ipsius confessarii ;* sive ex oblivione poenitens omiserit, sive ex erronea conscientia, sive ex malitia. Nec confessarius interrogare tenetur.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est, *extra periculum seu articulum mortis : a)* ex voluntaria absolutione data complici in peccato turpi complicitatis formalis nondum directe remisso ; *b*) ex fictione huiusmodi absolutionis, *c)* ex absolutione data poenitenti reticenti vel omittenti in confessione peccatum turpe complicitatis, nondum directe remissum, eo quod ipse confessarius poenitentem complicem ad hanc reticentiam vel omissionem induxit directe vel indirecte ; *d*) ex fictione absolutionis poenitentis huiusmodi ; *e*) ex absolutione data cum ignorantia affectata aut crassa. — *Et in articulo seu periculo mortis : a)* ex voluntaria absolutione complicis in peccato turpi, quae illicita sit confessario ob defectum casus necessitatis vel ob gravem negligentiam confessarii ad casum necessitatis praecavendum aut avertendum ; *b*) ex fictione huiusmodi absolutionis illicitae ; *c)* ex vera vel ficta absolutione complicis reticentis vel omittentis peccatum turpe complicitatis ex causa directa vel indirecta ipsius confessarii, quoties data absolutio esset confessario illicita ob defectum casus necessitatis vel ob gravem negligentiam ad casum huiusmodi tollendum.

2. **Causa non integra** est : *a*) si poenitens, sive in

periculo mortis sive extra tale periculum, omitteret vel etiam sacrilege reticeret peccatum complicitatis citra ullum influxum directum vel indirectum confessarii; *b)* si confessarius absolveret a peccato complicitatis, quod iam rite ab alio confessario fuerit absolutum; *c)* si confessarius complicem suum in peccato turpi absolveret ex inadvertentia aut ex ignorantia invincibili vel etiam vincibili simpliciter; *d)* confessarius absolveret prudenter dubitans, num poenitens sit suus complex; nec tenetur imprudenti modo veritatem inquirere. *Et in mortis articulo seu periculo,* quoties absolutio *licite* impertitur a confessario ob casum necessitatis.

3. **Obnoxius est** confessarius, licet cum complice peccaverit cum esset laicus, aut cum impubere.

Adn. a. S. Poenitentiaria alicui tribuens facultatem absolvendi absolventem complicem, praecipere solet ut complex in perpetuum abstineat a complicis confessione excipienda; praeterea haec similisve clausula additur: « Si *tres* aut plures personas, sive *unam* ter aut pluries absolvere ausus fuerit (praecipe), ut ipsum confessarii officium, quo tantopere abusus est, quam primum poterit, infra tempus ab absolvente determinandum, non tamen ultra tres menses, si sit simplex confessarius, si autem parochus, non ultra sex menses, dimittat ». — Et verba *tres, ter, pluries* intelligenda sunt non ab ultima confessione, sed ex tota anteacta confessarii vita: S. Poenit. 5 iun. 1901. Quod si sacerdos nequeat officium confessarii dimittere, recurrendum est ad S. Poenitentiariam.

b. *Plures theologi* (Bucceroni, n. 68, Ball.-Palmieri, n. 655; Génicot, n. 364; Lehmkuhl, n. 837; Noldin, n. 386; Gury-Ferreres, n. 587; Cappello, n, 52) dicunt probabiliter licere sacerdoti absolvere complicem suum, praeter quam in periculo mortis, etiam in *gravissima necessitate,* quam ita determinarent: *a)* si agatur de loco, ubi nullus alius adsit confessarius, praeter complicem, nec probabilis affulgeat spes, quod unquam sit superventurus; *b)* si urgente praecepto confessionis et communionis paschalis, desit alius confessarius et poenitens complex nequeat ullo modo propter rerum adiuncta alio divertere ad extraneum quaerendum, simulque sacramentorum receptionem omittere non potest sine gravi scandalo aut infamia. — Et assentit *Sole,* p. 353 cum *Pennacchi.*

84. *Quid de quarta, quae est in violantes directe sigillum sacramentale?*

Can. 2369, § 1. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1.

Declaratio. a. *Ius est novum,* inductum etiam ad muniendos confessarios contra impudentiam fori saecularis, quod nunc nec sigillo sacramentali debitam reverentiam servare visum est.

b. *Excommunicatione* plectuntur delinquentes contra legem naturalem et divinam, quae affirmatur in canone 889, § 1: « Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem ».

c. « *Confessarium* »; ergo non *interpretem,* qui adhibitus fuerit; non Superiorem, a quo facultas absolvendi a reservatis petatur; non theologum, a confessario consultum de licentia poenitentis; non eos, qui aliquo modo, sive ex casu fortuito, sive ex industria, vel ex violato ab aliis sigillo, notitiam confessionis perceperint; quamvis hi omnes eadem obligatione teneantur, ut dicitur can. 889, § 2: « obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpretes aliique omnes, ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit ».

d. « *Sigillum sacramentale* » dicitur, strictissima obligatio sub secreto servandi ea, quae Sacramentali confessione cognita sunt. — Obligatio haec affirmatur *strictissima* eo quod nulla de causa nullumque in finem quantumvis bonum, immo et reipublicae necessarium potest violari sine formali venia ipsius poenitentis, quae explicite data fuerit; et nunquam potest praesumi, potissimum quia lex sigilli est ad bonum non solum poenitentis, sed et sacramenti ac religionis. Ideo dicitur in canone: « caveat diligenter confessarius ne.... *quavis de causa* prodat ».

Sigillum sacramentale oritur ex omni et sola confessione sacramentali; ea autem confessio est sacramentalis, quae ex parte poenitentis fiat cum animo se accusandi et absolutionem obtinendi. Unde *sacramentalis* est accusatio peccatorum in ordine ad absolutionem, quamvis nulla detur absolutio aliqua de causa, vel etiam quia ipsa accusatio alias integranda relinquatur, ut fit aliquando in confessionibus generalibus; item *sacramentalis* est confessio, quam quis apud confessarium iurisdictione destitutum fe-

cerit ex errore communi: c. 209. Sed *non est sacramentalis* confessio, quae *scienter* fiat laico vel sacerdoti iurisdictione carenti; aut quae fiat a poenitente *cum animo* confessarium decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi.

Obiectum sigilli sunt ea omnia, quae in confessione vel occasione confessionis sacramentalis cognita fuerunt et revelari nequeunt, quin confessio odiosa reddatur. — Iamvero ex iis quaedam sub sigillo cadunt *directe,* quaedam vero *indirecte. Directe* cadunt sub sigillo ea, quae declarantur ut *materia* confessionis, scilicet *peccata,* sive mortalia, sive venialia; vel dicuntur ad pleniorem materiae intelligentiam. *Indirecte* sub sigillo cadunt ea, quae ducere possunt in notitiam peccatorum poenitentis, vel ei gravamen afferre, cuiusmodi sunt: *circumstantiae peccatorum* etiam superfluae; *defectus poenitentis* ex sola confessione cogniti; *poenitentiae impositae; peccata complicis* sive legitime sive imprudenter confessario revelata et cognita; *denegatio absolutionis.*

e. «*Directe violare*». — *Violatur sigillum* quoties manifestantur res sub sigillo contentae cum probabili periculo notam faciendi personam, quae eas accusavit, aut quoties quis notitia habita ex confessione utitur cum gravamine poenitentis, vel cum periculo reddendi confessionem odiosam. — Iamvero *violatio sigilli dicitur directa,* quando revelatur *materia* sigilli simulque *persona expresse* vel *ex adiunctis* ita designatur, ut audientes eam certe cognoscere possint, licet illa sit eis hic et nunc ignota et forte nunquam cognoscenda. Et, quamvis agatur de uno peccato veniali, delictum violationis *directae* iam consummatum est ex parte *materiae,* quia haec parvitatem non admittit.

Indirecta violatio sigilli habetur, quando aliquid dicitur aut fit aut omittitur, ex quo *materia* sigilli cognosci seu detegi potest, etsi probabiliter tantum, aut *poenitens* aliquod gravamen pati et ipsa *confessio* effici odiosa. Et haec violatio, quae parvitatem materiae admittit, contingere potest multipliciter, sive *verbis* sive *factis. Verbis,* e. g., fit: si confessarius, narrando aliquod factum, tales refert circumstantias, ut poenitens probabiliter cognosci possit; aut si facto publico, extra confessionem cognito, addatur quaedam circumstantia nota ex sola confessione; - aut, si post paucas confessiones auditas, dicat se audiisse tale grave peccatum etc. — *Factis,* e. g., fit: - si quis, post auditam confessionem, suam agendi rationem erga poenitentem mutat, eum dure alloquitur, vel sua benevolentia privat etc.; - aut etiam suam agendi rationem mutat erga alios, puta complices poenitentis; - si quis notitia accepta ex confessione utitur ad externam gubernationem. — Ad rem legimus canone 890: «Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poeniten-

tis, excluso etiam quovis revelationis periculo. — Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia, quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt ». Et canon 891 prudenter hoc decernit: « Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ». — Et canone 1757, § 3 repelluntur a testimonio ferendo « uti incapaces, sacerdotes quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; immo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis, ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt ».

f. « *Praesumpserit* ». Ergo excommunicatio non incurritur ab eo qui directe violaverit sigillum ex inadvertentia, etsi graviter imputabili, vel ex ignorantia etiam crassa sive facti, idest materiae sigilli, sive iuris, idest censurae; aut ex imprudentia.

Unde: 1. **Causa integra** censurae est ex voluntaria manifestatione peccati, vel unius venialis, et poenitentis, qui illud dixerit in confessione sacramentali.

2. **Causa non integra esset:** *a*) ex huiusmodi manifestatione, quae, etsi graviter imputabilis, tamen non ex voluntate plene deliberata haberetur; *b*) ex violatione sigilli indirecta, etsi facta cum plena deliberatione.

3. **Obnoxius est** excommunicationi, ex integra causa, confessarius dumtaxat.

4. **Obnoxii non sunt** interpres aliique omnes, ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit. In eos tamen est ius huiusmodi: « Quicumque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio ».

106 *bis.* **Adn. Instructio** *ad Rev.mos locorum Ordinarios familiarumque religiosarum Moderatores super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis.*

« Naturalem et divinam sigilli sacramentalis legem in Ecclesia Christi semper et ubique sanctissime reservatam fuisse, ne ipsi quidem confessionis sacramentalis acriores hostes in dubium unquam revocare serio potuerunt. Idque providentissimo Dei consilio absque ulla dubitatione tribuendum est, qui, sacramentalem confessionem veluti *secundam post naufragium deperditae gratiae*

tabulam hominibus misericorditer offerens, omnem aversationis causam ab ea dignatus est amovere.

Non desunt nihilominus quandoque salutaris huius sacramenti administri, qui, reticitis quamquam omnibus, quae poenitentis personam quomodocumque prodere queant, de submissis in sacramentali confessione clavium potestati, sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum concionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non vereantur. Cum autem in re tanti ponderis et momenti nedum perfectam et consummatam iniuriam sed et omnem iniuriae speciem et suspicionem studiosissime vitari oporteat, palam est omnibus quam mos huiusmodi sit improbandus. Nam etsi id fiat salvo substantialiter secreto sacramentali, pias tamen audientium aures haud offendere et diffidentiam in eorum animis haud excitare sane non potest. Quod quidem ab huius sacramenti natura prorsus est alienum, quo clementissimus Deus, *quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisimus, misericordissimae suae pietatis venia penitus abstergit* atque omnino obliviscitur.

Haec animo reputans Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii muneris sui esse ducit, omnibus locorum Ordinariis Ordinumque Regularium et quorumcumque Religiosorum Institutorum Superioribus, graviter onerata eorum conscientia, in Domino praecipere, ut huiusmodi abusus, si quos alicubi deprehendant, prompte atque efficaciter coercere satagant; utque in posterum tam in scholis theologicis quam in *casus moralis*, quas vocant, conferentiis et in publicis et in privatis ad Clerum allocutionibus et adhortationibus sacerdotes sibi subditos sedulo edoceri curent, ne quid umquam, occasione praesertim Sacrarum Missionum et Exercitiorum Spiritualium, ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et nec directe neque indirecte (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas a probatis auctoribus traditas proponendae) in suis seu publicis seu privatis sermonibus attingere audeant; eosque in experimentis pro eorum habilitatione ad confessiones excipiendas hac super re peculiariter examinari iubeant.

Sacra Congregatio confidit, neminem ex Confessariis huiusmodi praescriptionibus contra venturum; quod si secus acciderit, praedicti Ordinarii et Superiores transgressores graviter moneant, recidivos congruis poenis percellant, ac in casibus gravioribus Supremo huic Sacro Tribunali rem quamprimum deferant».

Datum Romae ex Aedibus Sancti Officii, die 9 iunii 1915.

R. Card. Merry Del Val

(Cf. *Monitore eccl.* ser. III, vol. IX, p. 199).

ART. VII. - ***Excommunicationes Romano Pontifici reservatae ex Const.*** **Vacante Sede Apostolica.**

85. *Quot sint et quid de iis generatim tenendum.*

R. 1.° « Quod attinet ad poenas statutas in delicta, quae in eligendo Summo Pontifice possunt committi, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 »: c. 2330.

2.° **In hac constitutione** *decem* excommunicationes sunt ipso facto vigentes ob determinata delicta, quae fuerint commissa ; et harum omnium disciplina, ad absolutionem quod attinet, una eademque est, omnino propria. — Est huiusmodi: ut « a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, *praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo* absolvi possint ». Const. *Vacante Sede Apostolica*, n. 51. — Quam ob rem disciplina absolutionis harum excommunicationum differt a disciplina absolutionis excommunicationum *Apostolicae Sedi specialissimo modo* reservatarum ; confessarius enim nullus, immo nec Sacra Poenitentiaria potest ab illis absolvere *extra mortis articulum ; casus urgentiores* non admittuntur ; extra mortis *articulum* seu *periculum* absolutio illarum est reservata *Romano Pontifici exclusive.*

3.° **Excommunicationes** huiusmodi, cum sint in delicta, quae committi possunt in electione Romani Pontificis, merito locum proprium in const. *Vacante Apostolica Sede* retinuerunt, etiam Codice promulgato. Nos autem censuimus eas nec confundendas cum illis quatuor, quae in Codice decernuntur *Apostolicae Sedi* reservatae specialissimo modo, nec praetereundas ; et primum postulari visum est ipsa earum absolutionis disciplinâ, quam vidimus esse diversam ; et secundum non permitti magno earum momento, potissimum quia una earum talis est, cui obnoxii sint, ob delictum, non solum quotquot ad electionem Romani Pontificis concurrerint, sed omnes fideles, qui Romano Pontifici

subesse tenentur tanquam vero Papae inde ab eius facta electione et dato consensu.

86. *Cuiusmodi sit excommunicatio, quae ex constitutione* **Vacante Sede Apostolica** *afficit omnes ab electione ad coronationem Romani Pontificis.*

« Si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus ». Const. *Vacante Sede Apostolica* n. 88.

Declaratio. a. *Excommunicatio haec* viget vi canonis 2330, qui ad initium huius articuli est relatus.

b. *Excommunicationi* subsunt omnes, qui tale delictum patraverint, cuiuscumque dignitatis sint, ut patet ex articuli contextu.

c. *Delictum* habetur non ex solo actu inobedientiae aut irreverentiae litteris emanatis, sed *ex impugnatione* earum; quae quidem *impugnatio,* ut ex contextu, praeter quam ex verbo *impugnare,* eruitur, denegationem et reiectionem ipsarum litterarum significat, *tamquam si non a vero Pontifice sint.* Legimus enim in constitutione: « post electionem canonice factam, ... consensu praestito .... illico electus *est verus Papa*, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem *supra totum orbem acquirit et exercere* potest. Hinc, si quis litteras » etc. Profecto *si quis* ex toto *orbe*, praeter quam *ab electoribus;* si quis *fidelis,* si quis *rex;* plures enim actus Romani Pontificis possunt coronationem praecedere, et quidem pluribus ac diversis vel etiam omnibus dati.

d. *Excommunicatio* tamen non contrahitur, nisi quis sciens et volens impugnaverit Summi Pontificis litteras, qualicumque forma editas, quia lex censurae *praesumptionem* postulat; et idcirco a censura excusare valent ignorantia etiam crassa et causae quae imputabilitatem minuunt; n. 31, 3.°

e. Si quis subesse detrectaverit Romano Pontifici post eius coronationem impugnando litteras eiusdem post eius coronationem emanatas, quasi litteras non veri Papae, contraheret excommunicationem illam, quae dicitur n. 68, pag. 141.

87. *Quaenam in electione Romani Pontificis praecipiantur sub poena excommunicationis reservatae soli Romano Pontifici.*

Ex constitutione *Vacante Sede Apostolica* colligimus sequentia sub pari excommunicatione statuta :

1.° « **Cardinales** omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campana fuerit, ad scrutinium convenire debent »: n. 37.

2.° « **Ne ephemerides** quotidianae vel periodicae, extra Conclavem mittantur »: n. 50.

3.° « **Ab omnibus** in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis, quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur »: n. 51.

4.° « **Cardinales** ne suis Familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis, acta vel decreta sint »: n. 52.

5.° **Qui** nomen eligendi in Pontificem scripserint pro Cardinali infirmo scribere non valente, secretum servent ; n. 69.

6.° « **Simoniae** crimen..... in electione Romani Pontificis reprobamus et damnamus »: n. 79.

7.° « **Ne quis,** etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat »: n. 80.

8.° « **In virtute** sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique

ac per alios, sive ante Conclave, sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates, cuiuslibet gradus et ordinis, voluerint sese in Pontificis electione immiscere »: n. 81.

9.° « **Cardinales** abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui dandum vel non dandum »: n. 82.

« Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus »: n. 82.

In his autem nihil instandum ducimus, quia nec declaratione indigent nec facile usu veniunt.

87 *bis.* **Alia** tandem excommunicatio viget de iure, quae quidem speciali disciplina regitur, ut colligere est iis quae dicuntur n. IV *De secreto servando circa promovendos ad Episcopatum.*

Ad dubia: I. « Num iis, qui sub secreto S. Officii de informationibus requiruntur circa personas ad episcopatum promovendas, liceat delatum sibi munus, qualibet de causa, etiam ad tutiores notitias hauriendas, aliis revelare? ».

II. « Num, reticita commissione, de qua supra, liceat ab aliis notitias requirere, quoties adsit periculum, etiam remotum, revelationis secreti » ?

III. « Num datas informationes liceat, quacumque de causa, alteri, etiam secretissimo et intimo, vel in ipsa confessione revelare » ?

IV. « *Quibus poenis plectatur, qui talia egerit in primo vel secundo vel tertio casu* » ?

V. « Qui ignarus certae notitiae, eam ab alio vel aliis tutissime haurire valeat absque ullo periculo violationis secreti, num possit ex se, absque S. Congregationis licentia, hanc personam vel has personas interrogare » ?

VI. « Et si hoc fecerit, teneturne hanc personam vel has personas, a quibus notitias hausit, in suis informationibus S. Congregationi manifestare » ?

Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis, ad praedicta dubia d. 25 apr. 1917 respondendum censuit:

Ad I, II et III. In omnibus his casibus non licere.

Ad IV. *Excommunicatione,* a qua nemo, nisi ipse Romanus Pontifex, excluso etiam E.mo Cardinali Maiori Poenitentiario, absolvere potest; aliisque poenis ferendae sententiae, quae contra violatores secreti S. Officii a iure statutae sunt.

Ad V. Posse. — Ad VI. Teneri. — *Acta Ap. Sedis* a. 1917, p. 223.

CAPUT II.

De interdictis ipso iure vigentibus.

Art. I. - *De interdicto in genere.*

88. *Interdictum quid sit.*

Interdictum est censura, qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris nonnullis in iure determinatis: c. 2268, § 1.

Adn. a. Censura dicitur, unde quae de censuris in genere dicta sunt, de interdicto etiam intelligenda sunt, quando tamen sit poena *medicinalis;* etenim interdictum non est solummodo censura, sicuti est excommunicatio; aliquando est, vel fieri potest etiam poena *vindicativa.* Et ratio potissima est, quia interdictum, secus ac excommunicatio, ferri potest etiam in perpetuum vel ad tempus determinatum, et potest afficere etiam locum: c. 2255, § 2. — In dubio praesumitur censura: c. 2255, § 2.

b. Interdictum afficere potest personas, clericos aeque ac laicos, sed etiam, secus ac excommunicatio, communitatem ut personam moralem.

c. Effectus interdicti sunt profecto in singulis casibus attendendi ad normam iuris.

d. Quandonam in Ecclesia vigere coeperit interdictum, non certe constat. *Personale* datum videtur etiam primis Ecclesiae saeculis; *locale* probari potest fuisse in usu receptum saec. XII; sed illud incurrendum *ipso iure* seu *facto* nonnisi posteriori aetate conspicitur, aeque ac ceterae censurae.

e. *Interdicti* nomen a romani fontis iure in canonicum deductum est; sed ibi statuta Praetoris *inter duos dicentis* indicabat, heic propriis notionibus instruitur, discretis quidem, sed universim prohibentibus, quum *interdicta* Praetoris fuerint vel prohibitoria, vel restitutoria.

89. *Quandonam interdictum sit poena vindicativa, et quando censura.*

R. 1.° **Poena vindicativa** est: – *a*) « Interdictum *locale* et interdictum in *communitatem* seu *collegium* in perpetuum, vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris ». Et hoc de iure explicito, scilicet canonis 2291, 1°. – *b*) « Interdictum *ab ingressu Ecclesiae* in perpetuum, vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris ». Et hoc etiam de iure explicito, nempe canonis 2291, 2.° – *c*) Interdictum *quodlibet*, si latum fuerit *in perpetuum*, vel *ad tempus praefinitum*, vel *ad beneplacitum Superioris*. Et hoc de regula generali: cf. can. 2241, § 1; 2291, 2°. Vid. n. 102.

2.° **Censura est** quodlibet aliud interdictum, quod non in perpetuum latum fuerit, nec ad tempus praefinitum, puta per annum, sex menses, nec ad beneplacitum Superioris, puta *donec* Superiori placuerit, visum fuerit; sed latum fuerit ad tempus indeterminatum; profecto « *donec delinquens a contumacia* recesserit »: c. 2241, § 1, qua desinente, removendum est de iure: c. 2248, § 2, ut decet poenam medicinalem.

Adn. a. Ad moralitatem actus prohibiti dimetiendam posita distinctio praeteriri posset; etenim actus prohibitus pari cum illiceitate ponitur, sive interdicto censura sive interdicto poena vindicativa prohibeatur; utrumque enim pariter in conscientia tenet delinquentem: c. 2232.

b. Nec magis refert distinctio, si inspiciamus irregularitatem, quae contrahitur ob positum actum Ordinis maioris prohibitum. Etenim ob positum actum Ordinis sacri prohibiti sacerdos, diaconus, subdiaconus irregulares fiunt, sive irretiti fuerint interdicto personali censura, sive interdicto personali poena vindicativa; immo (ut integrum referatur ius ad rem) etiam si actum huiusmodi poenant prohibitum interdicto locali: c. 985, 7.

c. Sed distinctio attendenda sedulo est, quod attinet ad remissionem interdicti.

Etenim: *a*) si interdictum est *censura*, in casibus urgentioribus remittitur per absolutionem ad normam canonis 2254, sicut dictum est de censuris in genere n. 25; *b*) si vero interdictum est poena vindicativa, in casibus urgentioribus occultis suspenditur

vel etiam dispensatur ab eo ad normam canonis 2290, sicut dicitur de poenis in genere n. 140.

90. *Interdictum quomodo distinguatur.*

R. 1.° **Interdictum:** *a*) aliud *personale* est et aliud *locale*; *b*) aliud *generale* et aliud *particulare:* c. 2268, § 2; 2269, § 1; *c*) interdictum *ab ingressu Ecclesiae* etiam particulari iure tractatur.

2.° **Personale** dicitur interdictum, cum personis ipsis usus sacrorum interdicitur; unde in interdicto personali prohibitio bonorum personis fit directe: c. 2268, § 2. *Sequitur* personas, easque ubique locorum tenet: c. 2269, § 2.

3.° **Locale** dicitur interdictum, cum certis in locis sacrorum dispensatio vel perceptio vetatur; quare in interdicto locali prohibitio bonorum personis fit indirecte: c. 2268, § 2. — « *Non urget* extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent »: c. 2269, § 2.

4.° **Personale generale** est, quod fertur in *populum* reipublicae, dioecesis, paroeciae. — **Personale particulare,** quod latum est in particularem seu individuam personam sive physicam, puta Caium, sive moralem, puta collegium seu communitatem: c. 2269, § 1; 2274.

5.° **Locale generale,** quod feratur in *territorium* reipublicae, dioecesis, paroeciae. — **Locale particulare,** quod feratur in *locum particularem,* puta altare, coemeterium, ecclesiam, vel in *territorium seu locum* collegii seu communicatis: c. 2269, § 2; 2274.

91. *Quis ferre possit interdictum* generale, *tam locale quam personale.*

Can. 2269, § 1. « **Generale** interdictum tam **locale** in territorium *dioecesis, reipublicae,* quam **personale** in populum *dioecesis, reipublicae,* ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; interdictum vero **generale** *in paroeciam* vel *paroeciae populum,* et **particulare** sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest ».

Unde Episcopus (dicitur *Episcopus*, non *Ordinarius*, proinde non Vicarius Generalis) potest interdicere *singulas* personas, *singulas* communitates, *singulas* paroecias, *singulas* ecclesias et *singula* loca totius dioecesis; non autem *totam dioecesim*, sive unico iurisdictionis actu, sive pluribus successivis.

Procul dubio potest interdictum infligi etiam per modum praecepti extra iudicium, dummodo delictum certum sit: c. 1933, § 4.

Adn. a. Nomine Episcopi censemus venire etiam Abbatem et Praelatum *nullius*, Administratorem et Praefectum Apostolicum, Vicarium Capitularem.

b. *Interdicto*, quod latum sit *in populum*, clerici non tenentur: Suarez, d. 32; Ball.-Palm. n. 557; *interdicto*, quod latum sit in clericum, non ligantur laici, nec religiosi, immo probabiliter nec clerici, qui in loco nullum officium aut beneficium habeant. *Suarez*, *Devoti* aliique; sed utique *absentes* clerici loci.

c. *Praelati regulares* nequeunt apponere interdictum in ecclesiis sibi subiectis, quia eorum iurisdictio est personalis, non vero localis, et etiam quia actus iste percutit exercitium iurisdictionis in clerum et populum. *Sole* p. 168 ex S. C. EE. et RR. declarationibus.

92. *Effectus interdicti localis quinam sint.*

R. 1.° **Nullum interdictum** locale vetat Sacramenta et Sacramentalia morientibus ministrare, servatis servandis: c. 2270, § 1; e. g., ut ad eos Viaticum *privatim* deferatur. Item nullum interdictum locale prohibet dare defunctis sepulturam, servatis servandis, e. g., ut omnis ecclesiasticus ritus *omittatur*: c. 2272, § 2.

2.° **Omne interdictum** locale prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum: c. 2270, § 1. Attamen sequentes exceptiones ipso iure decernuntur: c. 2270, § 1.

Prima exceptio. « In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et beatae Mariae Virginis in caelum assumptae *interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum* collatio Ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio »: c. 2270, § 2.

Secunda exceptio. « Si generale fuerit interdictum et interdicti decreto aliud non caveatur expresse : 1.° *Permittitur clericis*, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis ; 2.° *In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus* vel in *ecclesia, quae unica* sit in oppido, in iisque solis, *permittuntur* unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, adsistentia matrimoniis, *exclusa* benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, *vetita* tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. *In his tamen sacris functionibus prohibetur* cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium ; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur » : c. 2271.

Tertia exceptio. In interdicto particulari : – *a)* Si *altare* vel *sacellum* alicuius ecclesiae interdictum fuerit, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur ; – *b)* Si *coemeterium* fuerit interdictum, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu ; – *c) Si certa quaedam ecclesia* interdicta fuerit vel *certum oratorium :* – 1) *Pro ecclesia, quae capitularis* fuerit, permittitur ut in ea omnia divina et sacri ritus privatim perficiantur, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis, modo tamen clerici *non sint ipsi* personaliter interdicti, *nec fuerit* simul cum ecclesia interdictum etiam Capitulum, *nec praeceptum fuerit* Capitulum interdicti decreto Missam conventualem et horas canonicas in alia ecclesia aut oratorio celebrare : c. 2272, § 3, 1°. – 2) *Pro ecclesia,* quae *paroecialis* fuerit, *permittuntur* unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, adsistentia matrimoniis, *exclusa* benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae *velita* tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio. In his tamen sa

cris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium ; et sacrum Viaticum ad infirmos privatim deferatur. *Ita si interdicti decretum non aliam ecclesiam pro interdicti tempore substituerit :* c. 2272, § 3, 2° ; 2271, 2° ; – *d)* « *Interdicta civitate,* interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis ; *interdicta ecclesia,* interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium ; *interdicto sacello,* non est interdicta integra ecclesia *nec, interdicto coemeterio,* interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta » : c. 2273.

Adn. « *Nomine* divinorum officiorum quid veniat, vid. n. 37. — Omittimus ea, quae quilibet lector iam satis propriis oculis et evidentia coactus perceperit : quot nempe ambiguitates clarissimo novo iure tollantur, et quanta sit sollicitudo Piae Matris Ecclesiae, ne quid detrimenti capiant innocentes, dum saluti nocentium consulitur. Cf. n. 37, adn. h.

93. *Quinam sint effectus interdicti personalis.*

R. 1.° **Ad divina officia** quod attinet, personaliter interdicti, « nequeunt ea celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere ; *passive* assistentes non est necesse ut expellantur ; sed ab adsistentia *activa,* quae aliquam secum ferat participationem in divinis officiis celebrandis repellantur *interdicti post* latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti » : c. 2275, 1.°

2.° **Ad Sacramentorum et Sacramentalium receptionem** quod spectat : – *a)* quilibet interdictus prohibetur Sacramenta recipere : c. 2275, 2° ; 2260, § 1 ; – *b)* interdictus vero post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam etiam Sacramentalia : c. 2275, 2° ; 2260, § 1. Prohibentur profecto antequam ab interdicto absolvantur ; et prohibitio datur ut interdictus absolutionem quaerat atque promereatur ex poenitentia.

3.° **Ad Sacramentorum et Sacramentalium con-**

fectionem et administrationem quod pertinet, quilibet interdictus prohibetur licite conficere et ministrare, salvis iuribus, quae sequuntur: *a) Fideles* ab interdicto simpliciter possunt ex qualibet iusta causa Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc interdictus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi: c. 2275, 2°; 2261, § 2; – *b) Fideles* ab interdicto ex data sententia declaratoria vel condemnatoria in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem (etsi alii adsint ministri: c. 882) tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia: c. 2275, 2°; 2261, § 3.

4.° **Ad dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve** munus in Ecclesia quod pertinet, interdicti personaliter canone 2265 afficiuntur: c. 2275, 3.° Unde ita: – *a) Quilibet interdictus:* 1) prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi; 2) nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; 3) promoveri nequit ad ordines; – *b) Interdictus ex data sententia* condemnatoria aut declaratoria non solum illicite, sed et *invalide* poneret actus ad 1) et 2) recensitos. Praeterea nequit gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de interdicto fiat: c. 2265.

5.° **Ecclesiastica sepultura** privatur, nisi ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa, interdictus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam: c. 2275, 4°; 1240, § 1, n. 2.

94. *Interdictum in communitatem seu collegium quotuplici modo ferri possit.*

Can. 2274, § 1. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest *vel* in singulas personas delinquentes, *vel* in communitatem, uti talem, *vel* in personas delinquentes et in communitatem.

§ 2. Si primum, servetur praescriptum can. 2275. *(Idest valent* quae dicta sunt n. 93).

§ 3. Si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere, quod ei competat. *(Nempe quod competat ei tamquam personae morali).*

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

95. *Quid sentiendum de eo, qui, quum non sit reus, interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium lato subest.*

Can. 2276. Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quum eidem causam non dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione.

Unde: 1. Si quis individuus communitatis interdictae innocens fuerit a delicto, propter quod tota communitas fuit interdicta, ratione interdicti non prohibetur ea Sacramenta recipere, quae *in loco receptionis* licite administrantur fidelibus, qui non sunt partes communitatis. Ipse enim interdicto personaliter non detinetur.

2. Si quis peregrinus intraverit in territorium seu locum interdictum, ea tantum Sacramenta poterit recipere, quae ibi non prohibentur ministrari; quia ipse, etsi innocens, effectibus interdicti obnoxius fit ratione commorationis in loco seu territorio interdicto.

96. *Quid tenendum de interdicto* ab ingressu Ecclesiae.

Can. 2277. Interdictum ab ingressu ecclesiae secum fert prohibitionem, ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur.

Unde: 1. Interdictum huiusmodi est personale, non autem locale.

2. Tria prohibentur, scilicet ne persona interdicta possit *intra ullam ecclesiam* stricte acceptam: *a) celebrare* divina officia; *b)* eis

adsistere ; c) *ecclesiastice sepeliri.* — Sed interdictus ab ingressu ecclesiae non prohibetur *celebrare* divina officia *extra* ecclesiam, aut in *oratoriis,* sive privatis sive publicis, sive semipublicis, quum adversus contrariam antiquorum sententiam hodie habeatur Codex, qui inter Ecclesiam (tit. IX, De Rebus) et oratorium (tit. X) plane distinguit; nec in ecclesia adsistere praedicationi verbi Dei, nec in ecclesiam intrare quando divina officia non celebrantur, immo nec ecclesiasticam sepulturam habere in coemeterio, ut putamus, ex contextu canonis, ex quo illud « *in ecclesia* » intelligi potest etiam de sepultura. Cl. *Sole* vero dicit, p. 176, ecclesiasticam sepulturam prohiberi tum in ecclesia tum in coemeterio benedicto.

3. Interdictus ab ingressu ecclesiae etiam post datam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, si divinis officiis *adsistat,* non est expellendus, nec eius cadaver amovendum ab ecclesia, si in ea fuerit sepultum. — Ei igitur magis indulgetur quam excommunicato.

Art. II. - *Interdicta ipso iure vigentia.*

97. *Quid generatim dicendum de interdictis hodie vigentibus ipso iure ?*

R. 1.° **Sunt quatuor;** et horum *primum* est reservatum Apostolicae Sedi, *secundum* Ordinario, *tertium,* donec, arbitrio eius, cuius sententia fuerit contempta, satisfactum sit; *quartum* nemini reservatur.

2.° **Episcopi** interdictis latae sententiae non subiiciuntur ; nec impuberes, quamdiu tales fuerint; ligantur interdicto personali postquam aetatem pubertatis ingressi sunt.

3.° **Sunt irregulares** ex delicto... qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt... poena canonica sive personali... sive locali (idest *interdicto*) prohibiti » : c. 985, 7.°

Adn. « Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, *quin eidem causam* dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione » : c. 2276.

98. *Quid de primo, quod est Apostolicae Sedi reservatum?*

Can. 2332. « Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur,... a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes... interdictum, speciali modo Sedi Apostolicae... reservatum, incurrunt ».

Declaratio. a. *Ius vetus:* « ab ordinationibus seu mandatis »; unde a nonnullis excusabantur appellantes a statutis vel legibus: *D'Annib.* Comm. in Const. Ap. Sedis; et ideo *ius novum,* quod attinet ad formam, clarius est, quod vero ad substantiam, idem omnino.

b. *Interdicto* quale delictum puniatur, et quando causa eius sit integra, collige ex n. 72; quae vero ipsum prohibeat, ex n. 94.

c. *Obnoxiae sunt* solum personae *morales nominatae,* et omnes, quae *nomine personae moralis* in Ecclesia gaudent, de quibus vid. n. 62 *d.*

d. *Interdictum* hoc habet de iure novo naturam censurae, omni veteri controversia remota.

e. Non videtur hodie amplius sustinenda antiquorum sententia, quae etiam excommunicationem indicebat singulis individuis personae moralis appellantibus. Sane non interdictum teneret, sed excommunicatio, de qua n. 72, si plures homines in *societatem* coeuntes appellaverint. Cf. tamen n. 99.

99. *Quid de secundo, quod est reservatum Ordinario?*

Interdictum ab ingressu Ecclesiae, Ordinario reservatum, contrahunt sponte sepulturam ecclesiasticam donantes infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis aliisve excommunicatis sive interdictis contra praescriptum canone 1240, § 1: c. 2239. — *Et praescriptum* can. 1240, § 1 est: « Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: 1.° *notorii apostatae a christiana fide,* aut *sectae haereticae* vel *schismaticae* aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus *notorie addicti;* 2.° *Excommunicati vel interdicti* post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; 3.° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio; 4.° Mortui in duello aut ex

vulnere inde relato; 5.° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi; 6.° Alii peccatores publici et manifesti ». – *Dum altera* § dicitur: « Occurrente in praedictis casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum ».

Declaratio. a. *Ius vetus:* « admittentes ad sepulturam ecclesiasticam nominatim excommunicatos ». *Ius novum* amplectitur etiam alios; sed tamen *non omnes,* quibus sepultura ecclesiastica vi canonis 1240 neganda est, si ante mortem nullum dederint poenitentiae signum, et casus de eorum indignitate deque eorum impoenitentia est certus.

b. « *Interdictum ab ingressu Ecclesiae* », quid secum ferat, vid. n. 95.

c. « *Sponte donantes* »; etenim sacri ministri, qui fuerint coacti, censurae non subiiciuntur; sed illi excommunicationi obnoxii sunt, qui eos coegerint; n. 42.

d. » *Sepulturam Ecclesiasticam* », ad normam can. 1204; ut dictum est n. 42.

e. « *Infidelibus* » etc.; quinam sint censendi huiusmodi, vid. n. 42.

Adn. Lex *praesumptionem* postulat; unde a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes; n. 31, 3°.

100. *Quid de tertio, quod reservatur, donec, arbitrio eius, cuius sententia fuerit contempta, satisfactum sit?*

Can. 2338, § 3. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina officia in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius, cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint.

Declaratio. a. *Ius vetus* comprehendebat etiam nominatim excommunicatos, idest vitandos, scilicet ad normam antiqui iuris. *Ius novum* de vitandis (cf. n. 36, 39) aliud decernit, videlicet excommunicationem in eos, qui scienter et sponte in divinis officiis

vitandos receperint vel admiserint ; cf. n. 57. Habet etiam illud : « *vel admittentes* ».

b. « *Scienter* » dicitur de celebrantibus, de celebrari facientibus, de admittentibus ; quare horum quemlibet a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, n. 31, 3.°

c. « *Celebrantes* » *clerici* nempe et *religiosi*, qui libere et sponte egerint ; « *celebrari facientes* », item clerici et religiosi (*non laici*), qui alios celebrare fecerint. Ita sane ex iure antiquo explicite : cap. 8 de Privilegiis n. 6.

d. « *Officia divina in locis interdictis* ». Effectus interdicti localis collig. n. 92 ; et pro *divinis officiis* vid. adn. eiusdem n. 44.

e. « *Admittentes* » sunt, qui recipiunt, permittunt, cum eorum officium et ius esset admittere, idest recipere vel repellere. Et cum ius ex hac parte sit *novum,* censemus illud accipiendum ex regula generali ac proinde *laicos* quoque esse censurae obnoxios, si admiserint, ex. g., dominum privati oratorii.

f. « *Excommunicatos, interdictos, suspensos* post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam » ; de his videantur n. 38, 93, 108.

g. « *Interdictum ab ingressu Ecclesiae* » ; de hoc vid. n. 96.

h. « *Donec* » etc. ; igitur huiusmodi interdictum erit reservatum *illi, qui locum interdixerit,* si violatus est locus interdictus, aut *illi, qui clericum declaraverit excommunicatum, interdictum, suspensum vel condemnaverit,* si huiusmodi clericus fuerit ad divina celebranda admissus. — *Congrua satisfactione praestita*, et acceptata, absolutio (ut docent plures : D'Annib. I 396 ; Pighi, 128 ; Cappello, 157 ; Cavigioli, 183) tacite intercedi censetur.

Obnoxii sunt interdicto, ex integra causa : *a)* Clerici et Religiosi scienter et sponte divina officia *celebrantes in loco interdicto ; b)* Clerici, Religiosi et laici, qui, cum ipsorum sit admittere vel impedire celebrationem, clericum ad divina officia *in loco interdicto* celebranda *admittunt ; c)* Clerici Religiosi et laici, qui cum ipsis officium et ius esset admittendi vel repellendi, clericum *excommunicatum* etc. item *admittunt* ad celebranda divina officia, in loco quidem non interdicto. Qui autem admitterent clericum huiusmodi ad celebrandum in loco interdicto, bis censura interdicti innodarentur ; *d)* Clerici et Religiosi *facientes* alios celebrare in loco interdicto.

101. *Quid de quarto, quod nemini est reservatum?*

Can. 2338, § 4. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti.

Declaratio. a. *Ius noviter inductum* est, ut delictum proportionalem habeat poenam.

b. « *Qui causam dederunt* » ; idest *delictum* patrarunt, propter quod interdictum in locum quemdam aut in quandam communitatem latum est, sive ipso iure, sive per sententiam iudicis, sive per praeceptum Superioris. Sic, e. g., si oratorium aliquod aut aliqua ecclesia vel etiam paroecia interdicto punietur ob flagitiosam seditionem in loco peractam, flagitiosi, qui, graviter peccantes, tantum malum peregerint, manent *ipso iure interdicti personaliter*. Sic etiam si qua Universitas a decreto quodam Romani Pontificis ad Concilium universale appellaverit de mandato Principis (n. 112), interdicto personali innodantur ipso iure Princeps mandans, Praeses aliique Universitatis, qui cum eo appellaverint.

c. « *Interdicto locali* » : vid. n. 90, 91, 92.

d. « *Interdicto in communitatem* » : vid. n. 90, 92, 94.

e. « *Personaliter interdicti* » : de his vid. n. 93.

Adn. a. « **Qui cadavera** vel **sepulcra** mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, *interdicto personali* puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur » : c. 2328.

b. « **Bigami**, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames, et si spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate *excommunicentur* vel *personali interdicto* plectantur » : c. 2356.

c. « **Ecclesiae vel coemeterii violatores**, de quibus in can. 1172, 1207, interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur » : c. 2329. *Canon* 1172 est : « Ecclesia violatur infra recensitis tantum actibus, dummodo certi sint, notorii et in ipsa ecclesia positi : 1.° Delicto homicidii ; 2.° Iniuriosa et gravi sanguinis effusione ; 3.° Impiis et sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit ; 4.° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa ». Et *canon* 1207 : « Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum canones praescribunt, etiam coemeteriis applicentur ».

CAPUT III.

De suspensionibus.

Art. I. - *De suspensione in genere.*

102. *Suspensio quid sit.*

R. « Suspensio est censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur »: c. 2278, § 1.

Adn. a. Censura dicitur, sed non talis est ex tota sua natura; potest enim esse etiam poena *vindicativa;* etenim ferri potest etiam in perpetuum vel ad tempus praefinitum. In dubio tamen praesumitur censura: c. 2255, § 2.

b. Suspensio, sive censura sive poena, potest afficere solum *clericos:* c. 2255, § 2; est enim privatio eorum, quae habentur solum a clericis, sc. officium ecclesiasticum, beneficium ecclesiasticum. Sed potest ferri non solum in personam clericalem physicam, sed etiam in communitatem clericalem, ut personam moralem: c. 2255, § 2.

c. Quandonam suspensio sit putanda *censura,* et quando poena vindicativa, fac colligas ex dictis n. 89. Regula enim generalis est, ut suspensio, quae, sive a iure sive a Superiore, lata sit *in perpetuum,* vel *ad beneplacitum* Superioris aut illius, cui reservatur, vel ad tempus *praefinitum*, puta ad annum, ad mensem, habenda sit *poena vindicativa.*

d. *Suspensio* non privat officio aut beneficio, idest non aufert ipsum ius vel ipsam potestatem, sed eius usum aut exercitium vetat.

103. *In suspensione generaliter lata quid comprehendatur et quot species suspensionis dentur.*

R. 1. In suspensione lata generaliter, idest sine ulla determinatione ad effectus quod attinet (effectus enim suspensionis separari queunt), comprehenduntur cumulative omnes effectus, qui de omnibus et singulis suspensionibus a iure decernuntur. — Unde hisce omnibus effectibus subiiciendus est ille, quem ius dixerit *suspensum*: c. 2278, § 2. —

Ex eo autem quod effectus suspensionis separari queunt: c. 2278, § 2, oportet, ut diversae sint *suspensionis species* in iure determinatae.

2. In iure habentur: 1) Suspensio *ab officio,* quae alias species diversas suspensionis admittit; 2) Suspensio *a beneficio:* c. 2278, § 2. Praeterea ius particulare datur de suspensione *ex informata conscientia:* c. 2186, § 1.

104. *Suspensio ab officio et suspensionis species diversae quid vetent.*

Can. 2279, § 1. « **Suspensio** *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam *meae administrationis* ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii ».

Can. 2279, § 2. « **Suspensio:** 1.° *A iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae;

2.° *A divinis,* omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet;

3.° *Ab ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis, receptae per ordinationem;

4.° *A sacris ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris;

5.° *A certo et definito ordine exercendo,* omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eumdem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere;

6.° *A certo et definito ordine conferendo,* ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem;

7.° *A certo et definito ministerio,* e. g., audiendi confessiones, vel *officio,* e. g. cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii;

8.° *Ab ordine pontificali,* omnem actum potestatis ordinis episcopalis;

9.° *A pontificalibus,* exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2». Quae est: «Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere, quas ex legibus liturgicis reqnirunt iusignia pontificalia, idest baculum et mitram».

Unde: 1. Quoad suspensionem *ab officio,* corrigitur doctrina eorum antiquorum (ut Lega, n. 156, Ball.-Palm. n. 409) qui dicebant *officium* comprehendere solum potestatem ordinis et iurisdictionis; comprehendit etiam potestatem *mere administrationis;* unde parochus suspensus ab *officio* nequit etiam Viaticum, SS. Eucharistiam, Extremam Unctionem et alia huiusmodi administrare. Invalide autem adsisteret matrimonio parochus suspensus ab officio per sententiam aut talis declaratus: c. 1095, § 1, 1.°

2. Quoad suspensionem *a iurisdictione,* parochus ita suspensus potest Missam celebrare, praedicare, Extremam Unctionem, Viaticum, SS. Eucharistiam administrare, matrimonio adsistere, etc., nequit vero confessiones audire, in lege ieiunii et abstinentiae dispensare eaque agere, quae, quamvis sint ordinis, tamen iurisdictionem requirunt.

3. Quoad suspensionem *a divinis,* cessat ratio disputandi, quid veniat tali suspensione. Et Abbas et Praelatus *nullius,* qui, licet charactere episcopali carentes, gaudent tamen *privilegio* consecrandi vasa sacra, altaria portatilia, ecclesias etiam et altaria immobilia, conferendi primam tonsuram, ordines minores, Confirmationem, post suspensionem *a divinis,* nequeunt haec agere.

4 Quoad suspensionem *ab ordinibus,* profecto exercendis, recedendum est a sententia eorum (D'Annib. n. 381) qui ordines *minores* excludebant; *ordines* minores hic non distinguuntur a maioribus; unde ipso iure omnes comprehenduntur.

5. Quoad suspensionem a *sacris ordinibus* profecto exercendis dicendum quod haec non attigit ordines *minores,* nec iura beneficialia, nec exercitium iurisdictionis, quod fiat sine potestate ordinis sacri.

6. Quoad suspensionem *a certo et definito ordine exercendo,* dirimitur controversia theologorum; cf. *D'Annib.* I, 381, nota 6; Card. *Lega,* n. 158; *Bucceroni,* 116. Et *diaconus* suspensus *ab ordine subdiaconatus exercendo* nec potest in missa sollemni diaconatum exercere, nec presbyteratum recipere, nec illum forte receptum exercere.

7. Quoad suspensionem *a certo et definito ministerio vel officio,* si confessarius suspendatur *a ministerio audiendi confessiones,* nequit confessiones audire eaque omnia peragere, quae intra

confessionem sunt agenda, e. g., vota commutare. Et si parochus ita suspendatur, nequit licite actus ministerii pastoralis exercere, praedicare, sollemniter baptizare, audire confessiones, dispensare, matrimoniis (licite) adsistere etc.

105. *Suspensio a beneficio quibus privet.*

R. « Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat. — Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus » : c. 2280, § 1, 2.

Ergo agitur de lege non solum prohibente sed simul etiam irritante ; ideo datur etiam obligatio restitutionis. — Sed suspensio a beneficio non afficit : *a)* vicarias paroeciales non erectas in perpetuum ; *b)* cappellanias laicales, quae nempe non sunt erectae a competente auctoritate ecclesiastica ; *c)* coadiutorias cum vel sine successione ; *d)* pensiones personales ; *e)* commendam temporariam, cuius nempe reditus, commendatario deficiente, ad ecclesiam commendantem revertitur.

106. Suspensio (*generaliter lata*) *vel suspensio ab officio aut a beneficio ad quae officia et beneficia se extendat, ex iis pluribus, quae forte a clerico habeantur.*

R. « Suspensio generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia et beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat » : c. 2281. — Igitur suspensio, quae lata fuerit per sententiam ab Apostolica Sede seu a competente S. Tribunali Curiae Romanae, omnia officia et beneficia afficit, quae clericus habuerit ubique locorum, nisi aliud explicite praecaveatur ; quia suspensio fertur a Superiore universali.

107. *An Ordinarius loci suspendere possit clericum a beneficio, quod alicubi obtinet, et quid de suspensionibus a iure communi latae sententiae.*

R. « Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio, quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio latae sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur » : c. 2282. — Ergo sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, ideoque ipso facto suspensus a divinis exstiterit, c. 2365, suspensus erit ubique locorum.

108. *Suspensi quibus aliis effectibus obnoxii maneant ratione censurae.*

R. 1.° **Quilibet suspensus** : *a*) *prohibetur* iure eligendi, praesentandi et nominandi; *b*) *nequit* consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; *c*) *promoveri* nequit ad ordines : c. 2283, 2265, § 1.

2.° **Suspensus post sententiam** condemnatoriam vel declaratoriam *invalide*, praeter quam illicite, eligeret, praesentaret, nominaret, itemque *invalide* consequeretur dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia. Praeterea nequit gratiam ullam pontificiam *valide* consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de suspensione fiat: c. 2283, 2265, § 2.

3.° **Suspensus** ex censura suspensionis *administrationem* Sacramentorum et Sacramentalium *prohibentis* : *a*) *si nulla* intercesserit sententia, licite Sacramenta et Sacramentalia fidelibus petentibus administrabit, cum ius sit fidelibus petendi talia ab eo ex qualibet iusta causa, puta solo etiam desiderio suscipiendi Sacramentum, maxime si alii desint ministri : c. 2284 ; 2261, § 2. — *b*) si sententia condemnatoria vel declaratoria intercesserit, non nisi in mortis periculo potest Sacramenta et Sacramentalia fideli-

bus ministrare, qui ab eo absolutionem sacramentalem licite petere poterunt, etiam aliis ministris adstantibus; sed cetera Sacramenta et Sacramentalia non nisi deficientibus aliis ministris petere poterunt a tali suspenso, licet ea valide etiam ab illo recepturi sint: c. 2284; 2261, § 3.

4.° **Suspensus** ex censura suspensionis *prohibentis actum iurisdictionis* in foro sive interno sive externo: *a*) si nulla sententia intercesserit, nec Superior in instituenda lege declaraverit se ipsam iurisdictionis potestatem revocare, *valide* semper actum iurisdictionis ponet, *licite* praeterea quoties a fidelibus petatur: c. 2284, 2261, § 2. – *b*) si sententia condemnatoria aut declaratoria intercesserit, vel Superior in legis institutione declaraverit expresse, se ipsam iurisdictionis potestatem revocare, valide et licite actum iurisdictionis, puta absolutionem sacramentalem, ponet solum *in mortis periculo*. Et fideles ab eo non nisi in mortis periculo *valide et licite* recipient actum illud iurisdictionis: c. 2284, 2261, § 3.

109. *Quid tenendum sit de suspensione in communitatem seu collegium clericorum.*

R. **Censura** huiusmodi ferri potest: *a*) *vel in singulas personas delinquentes;* et tunc singuli delinquentes (non vero innocentes) obnoxii sunt effectibus suspensionis, ut dictum est de iis, qui personaliter sunt suspensione irretiti; sed aliter se habent, si nulla adfuerit sententia aut explicita declaratio Superioris; aliter vero, si sententia condemnatoria aut declaratoria intercesserit, vel si Superior particularem suam voluntatem expresserit; *b*) *vel in communitatem*, uti talem; et tunc communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium, quae ipsi, uti communitati, competunt; *c*) *vel in personas delinquentes et communitatem;* et tunc effectus cumulantur: c. 2285. — Oportet, ut communitas sit *clericorum*, quia *suspensio* solum in clericos ferri potest natura sua. Communitas religiosa est *clericalis*, si plerique eius sodales sacerdotio augeantur; secus est *laicalis*: c. 488, 4.°

110. *Quid summatim dicendum de censura suspensionis* ex informata conscientia.

R. 1.° « Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere *ab officio* sive ex parte sive etiam in totum. — Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere » : c. 2186.

Ergo suspensio ex *informata conscientia* licita et valida erit solum si fiat *ab officio,* non autem *a beneficio.* « *Vicarius* autem *Generalis* sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas » : c. 2220, § 2.

2.° « Ad ferendam hanc suspensionem neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est, si Ordinarius, servato praescripto canonum, qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere » : c. 2187.

3.° « Huiusmodi decretum datur in scriptis, nisi adiuncta aliud exigant, designato die, mense et anno; in eoque : 1) expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis ; 2) ... potest infligi etiam tamquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa, propter quam suspensio irrogatur ; 3) clare indicentur actus, qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur » : c. 2188.

Ergo talis suspensio dicitur *ex informata conscientia* eo quod cum his verbis ferenda est et fertur sine iudiciali probatione delicti. — *Ferri potest* non solum ut censura, sed (uti dicitur in iure) etiam ut poena vindicativa. Si infligitur ut poena, *tempus durationis est* praefiniendum; si ut censura, clerico patefieri debet causa ipsius suspensionis; quia a censuris non datur recursus nisi in devolutivo c. 2243, unde censura interea teneretur innocens. — *Designatio* diei, mensis et anni requiritur dupliciter: eo quod possit tempus poenae computari, et quia a poena vindicativa inflicta datur appellatio seu recursus in suspensivo: c. 2287.

4.° « Ordinarius, qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales colle-

gisse probationes, quae eum certum reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut eiusmodi poena coercendus sit »: c. 2190.

Ergo nequit Ordinarius suspensionem ferre ex informata conscientia, quando non agitur de *delicto* canonice accepto, vel quando *moraliter certus* non sit de *veritate* et *gravitate* delicti. — Sane potest Ordinarius aliqua iusta poena punire transgressionem legis, etsi haec careat apposita sanctione poenali et nulla facta sit praevia poenae comminatio, quando scandalum fortasse datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat: c. 2222, § 1; sed ad censuram vel poenam *suspensionis* infligendam (etsi ex informata conscientia) *licite et valide, delictum* ad normam iuris requiritur. Et *nomine delicti,* iure ecclesiastico, ut notum est, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata: c. 2195, § 1. Ordinarius autem certus esse debet de *veritate et gravitate* delicti, quia censura seu poena suspensionis nequit infligi ob delictum dubie commissum vel non graviter imputabile agenti: c. 2218, § 2; 2233, § 1.

5.° « Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet delictum occultum ad normam c. 2197. — Ob notorium delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest. — Ut delictum publicum suspensione ex informata conscientia plecti possit, occurrat necesse est aliquod ex adiunctis, quae sequuntur: 1) Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint, ut de eo testimonium in iudicio ferant, neque aliis probationibus delictum iudiciali processu evinci possit; 2) Si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat, ne processus iudiciarius instituatur aut inceptus perficiatur; 3) Si processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo »: c. 2191.

6.° « Suspensio ex informata conscientia valet, si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum »: c. 2192.

Ergo: *a*) suspensio *ex informata conscientia* vere extraordinarium remedium est, datum ad hunc finem, ut delinquens iusta poena plecti possit semper, sed tunc solum adhibendum, cum me-

dium ordinarium, scilicet processus iudicialis nequit adhiberi. Et casus suspensionis huiusmodi facilius contingere potest, si quis confessarius crimen sollicitationis, de quo in can. 904, commiserit, et idcirco suspendendus sit ad normam c. 2368, § 1. - *b)* Licet quidem Ordinariis ex informata conscientia clericos suos subditos delinquentes contra canones suspendere suspensionis censura vel poena vindicativa, sed simul omne periculum erroris aut iniustitiae removetur, et clericis delinquentibus omnis reverentia servatur, potissimum quia, si suspensio feratur ut *censura, causa* propter quam irrogatur, est patefacienda clerico, qui idcirco potest se innocentem probare; si vero feratur ut *poena vindicativa*, clericus favorem habet duorum canonum sequentium. — Can. 2193. « Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere, pastorali tamen adhibita sollicitudine et caritate, ut, si delictum clerico manifestare censuerit, poena, ex paternis quae interposuerit monitis, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat ». — Can. 2194. « Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes, quibus constet, clericum delictum revera perpetrasse, quod extraordinaria hac poena puniri queat ». — *Et*, ut dictum est, *datur recursus in suspensivo :* c. 2287. — Ecclesia est pia Mater semper atque omnibus.

Art. II. - *Suspensiones latae sententiae.*

111. *Quid sit de illis generatim dicendum.*

R. 1.° **Ex suspensionibus** ipso iure vigentibus aliae sunt *censurae*, de quibus potissimum nobis agendum, et aliae sunt *poenae vindicativae,* quas etiam referendas ducimus. — Aeque obligant omnes in conscientia statim ac fuerint contractae.

2.° **Suspensiones-censurae,** quod ad contractionem et absolutionem pertinet, eadem disciplina ac excommunicationes reguntur, *si unum excipias,* scilicet*: Episcopos* eis (perinde ac interdictis) non subiacere, nisi expresse fuerint nominati.

3.° **Suspensiones-poenae** vindicativae disciplina excommunicationum reguntur, *si duo excipiantur: a) Episcopi* illis non subiiciuntur, nisi expresse nominentur; *b) ignorantia vincibilis,* quae non adimat gravem imputabilitatem delicti, ab illis subeundis non excusat nisi lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigant; in hoc enim casu ignorantia etiam crassa seu supina a poena contrahenda excusat. — *Confessarius* an et quomodo valeat aliquando huiusmodi poenas suspendere et tollere, vid. n. 141.

4.° **Irregularitas** datur tam ex violata *suspensione-censura* quam ex violata *suspensione-poena vindicativa,* ad normam c. 985, 7°: « Sunt irregulares ex delicto... qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel *ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa,* sive locali prohibiti ».

5.° « **Si clericus** in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat » : c. 2340, § 2.

Adn. a. *Suspensionis* nomen, in iure canonico assumptum denotandae remotioni a sacris peragendis, profluit tralaticia ratione a verbo *suspendere,* quo res in altum attolli indicantur.

b. Praeter suspensiones *latae sententiae* dantur in iure communi plures suspensiones *ferendae sententiae;* et eas tandem adiiciendas censemus, ut materia ad rem integra evadat atque clerici salutarem disciplinam ad sanctificationem propriam statim agnoscant, quod est Ecclesiae desiderium.

§. 1. – *Suspensiones-censurae.*

112. *Quot sint.*

Decem numerantur; quarum *sex* sunt nemini reservatae; *una* reservatur Superiori proprio; *una* Ordinario: *duae* Apostolicae Sedi.

113. *Quid de primis duabus non reservatis, quae sunt in sacerdotem praesumentem audire confessiones, vel absolvere sine necessaria iurisdictione?*

Can. 2366. Sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales *confessiones audire,* est ipso facto suspensus *a divinis;* qui vero *a peccatis reservatis absolvere,* ipso facto suspensus est *ab audiendis confessionibus.*

Declaratio. a. *Ius novum* est; quod proinde ex sua ipsius sententia est diiudicandum.

b. *Interdicto* plectitur *usurpatio* potestatis iurisdictionis contra praescriptum can. 872: « praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria, sive delegata, in poenitentem »; et can. 893, in quo dicitur *reservatio* esse avocatio nonnullorum casuum ad iudicium superiorum et consequenter *limitatio* iurisdictionis inferiorum; praeterea etiam *illicita administratio* Sacramentorum. — Dicimus *illicita,* quia, etsi *valide* aliquando dari possit absolutio, eo quod suppleat Ecclesia ad bonum animarum, quando nempe *error communis* datur, sive *titulus coloratus* adsit, sive non: c. 209; tamen sacerdos, qui sciens absolverit sine iurisdictione, semper *illicite* absolvit, extra periculum mortis, in quo tamen casu iurisdictione sacerdos re vera non caret, quia illi conceditur ipso iure: c. 882.

« *Sacerdos* » sive saecularis sive regularis; sed non laicus, non subdiaconus, non diaconus; qui tamen ex tali delicto inciderent in excommunicationem, de qua n. 71 et c. 2322.

c. « *Praesumpserit* »; idest sciens certe se nulla gaudere iurisdictione et censuram dari et tamen libere agit contra legem. « In dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia »: c. 209; ideoque valide et licite absolveret in casu.

d. « *Confessiones sacramentales* » dicuntur, quae ex parte poenitentis fiunt in ordine ad absolutionem sacramentalem consequendam. Unde sacramentalis est etiam ea confessio, quam sacerdos audierit cum proposito non absolvendi. Et interdictum percellit delictum *auditionis* confessionum sacramentalium.

e. « *Suspensus a divinis* »; hoc est ab omni actu potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet: c. 2279, § 2, 2.°

f. « *A peccatis reservatis* », sive *indirecte* reservatis, idest

ratione censurae, sive *directe* reservatis, idest ratione sui, cuiusmodi reservatum est Apostolicae Sedi illud unum de calumniosa accusatione sollicitationis, et cuiusmodi solent esse reservata Ordinariorum in dioecesibus. — *Si quis* praesumpserit absolvere sine debita facultate ab *excommunicationibus* reservatis Ap. Sedi specialissimo vel speciali modo, incideret in excommunicationem, de qua n. 56, et c. 3338, § 2.

g. « *Absolvere* » ; unde pronunciatio formae absolutionis requiritur ad censuram; auditio sola confessionis, aut etiam *ficta* absolutio non sufficerent ad effectum huius suspensionis, idest « *ab audiendis confessionibus* ».

Unde: 1. **Causa integra** suspensionis *a divinis* est ex sola auditione confessionis, quae a sacerdote, destituto inrisdictione necessaria ad confessiones excipiendas, fiat scienter, extra dubium probabilis iurisdictionis iam acceptae. Et sacerdos delinquens manet suspensus etiam si non absolverit; aut etiam si, exstante errore communi, valide absolverit ex supplemento Ecclesiae.

2. **Causa integra** suspensionis *ab audiendis confessionibus* est ex absolutione peccati reservati, quae data fuerit scienter a confessario simplici extra periculum mortis, aut casum urgentiorem, aut casum iurisdictionis probabilis.

Adn. a. Suspensio nemini est reservata, et ideo quilibet confessarius potest ab ea absolvere etiam in casibus ordinariis, desinente contumacia et iniunctis de iure iniungendis. (Vid. n. 183).

b. *Pro memoria*: 1) *non sacerdos* (sive laicus sit, sive clericus, vel diaconus) qui confessionem receperit, contrahit excommunicationem Ap. Sedi speciali modo reservatam; 2) *sacerdos* praesumens confessiones recipere *sine iurisdictione,* manet suspensus *a divinis;* praesumens absolvere a *peccatis reservatis,* suspensus *ab audiendis confessionibus;* praesumens absolvere *ab excommunicationibus* Ap. Sedi reservatis speciali vel specialissimo modo, excommunicatus excommunicatione Ap. Sedi simpliciter reservata; absolvens vel fingens absolvere *complicem* in peccato turpi extra mortis periculum simul et casum necessitatis, excommunicatus excommunicatione Ap. Sedi specialissimo modo reservata.

114. *Quid de tertia non reservata, quae est in accedentem ad ordinem malitiose?*

Can. 2374. « Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus ».

Declaratio. a. *Ius novum* magis patet quam *vetus ;* vetus enim poena suspensionis puniebat solum ordinatos in *maioribus.*

b. « *Suspensione* » plectitur violatio : *can.* 955, quo unusquisque a proprio Episcopo ordinandus est, aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis ; et *can.* 977, quo ordines gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur ; et *can.* 974, quo aetas canonica, inter alia, requiritur ad liceitatem ordinationis.

c. « *Qui sine litteris dimissoriis* » : sane iam concessis ab iis, qui illas possunt concedere iuxta can. 959, 964, et non revocatis : c. 963.

d. « *Vel cum falsis* » ; cuiusmodi essent quae non a legitimis Superioribus fuerint concessae, aut ab eis quidem concessae sed postea revocatae fuerint, vel concessae quidem, sed alteri personae. — Litterae **dimissoriae** dicuntur, quae legitime conceduntur, ut quis possit ab alieno Episcopo ordinari. Litterae **testimoniales** nuncupantur, quibus indiget promovendus ad ordines ut sive a proprio sive ab alieno Episcopo ordinetur, ad normam can. 993. Litterae **excardinationis** perpetuae et absolutae vocantur, quibus clericus (qui per receptionem primae tonsurae *incardinatur* dioecesi, pro cuius servitio promotus fuit : c. 111, § 2) absolute, et in perpetuum excardinatur a propria dioecesi, ita ut possit ab alio Ordinario, per litteras alias incardinationis pariter perpetuae et absolutae, incardinari dioecesi illius : c. 112.

e. « *Vel ante canonicam aetatem* ». Aetas non canonica est : *pro subdiaconatu,* infra annum vicesimum primum completum ; *pro diaconatu,* infra annum vicesimum secundum completum ; *pro presbyteratu,* infra annum vicesimum quartum completum : c. 975. — Tempus canonicum pro ordinibus *minoribus* esset ab incepto primo anno cursus theologici ad exeuntem annum tertium ; legimus enim : « firmo praescripto can. 975, *subdiaconatus* ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno ; *diaconatus* nisi incepto quarto anno ; *presbyteratus,* nisi post medietatem eiusdem quarti anni » : c. 976, § 1.

f. « *Vel per saltum* ». Saltus habetur, quando quis promovetur ad ordinem superiorem, puta subdiaconatum, non recepto prius ordine inferiore, puta, acolythatu.

g. « *Ad ordines* ». « In iure verba : *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopa-

lem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur» : c. 950. Iamvero in can. 949 *numerantur ordines maiores et minores* simul. Unde in lege huius suspensionis ordines *maiores et minores* comprehenduntur. Sed *consecratio episcopalis* et *prima tonsura* non comprehenduntur, quia ex natura rei excluduntur ; Episcopi enim suspensionibus latae sententiae non sunt subiecti, nisi explicite nominentur; et tonsura non est *ordo, a quo recepto* tonsuratus possit *suspendi.*

b. « *Malitiose accesserit* » ; idest accesserit cum *cognitione* fraudis, cum *mala conscientia* et cum *plena deliberatione.* « *Malitiose* » refertur ad omnes casus et *gravitas* culpae exigitur ad censuram.

Unde : 1. **Causa integra** suspensionis habetur tripliciter : *a)* ex susceptione omnino libera et imputabili alicuius ordinis maioris vel minoris sine veris litteris dimissorialibus vigentibus ; *b)* ex eadem susceptione alicuius ordinis maioris ante canonicam aetatem, sine dispensatione ; *c)* ex eadem susceptione alicuius ordinis maioris vel minoris, non recepto prius ordine illi antecedente.

2. **Obnoxius est** suspensioni, ex integra causa, *ordinatus ;* qui valide quidem ordinatus exsisteret, sed tamen illicite, et ordinem susceptum *illicite* exerceret, ratione suspensionis.

Adn. a. « **Qui autem** *malitiose accesserit ad ordines* sine litteris *testimonialibus* vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis, secundum rerum adiuncta, puniatur » : c. 2374.

b. Collator ordinis quoque *poenae* suspensionis per annum a collatione ordinum quorumlibet obnoxius est. Vid. n. 126.

115. *Quid de quarta non reservata, quae est in Abbatem vel Praelatum nullius ?*

Can. 2402. Abbas vel Praelatus *nullius,* qui contra praescriptum can. 322, § 2 benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.

Declaratio. a. Canon 322, § 2 dicit: « Abbates vel Praelati nullius, qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis

constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant ».

b. « *A iurisdictione suspensus* » ; idest ab omni iurisdictione, sive in foro externo sive in foro interno; tam ordinaria quam delegata: c. 2279, § 2, 1.° — Attamen grave aliquod impedimentum intercedens valeret legitime a censura excusare, elapso quoque trimestri; agitur enim de lege solum ecclesiastica. — Censura autem haec, quae actus iurisdictionis redderet *illicitos*, sed non *invalidos*, absolvi potest etiam a simplici confessario, contumacia desinente. Unde censura mitissime datur.

c. « *Praelati*, qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet » : c. 319, § 1.

116. *Quid de quinta nemini reservata, quae est in Vicarium Capitularem ?*

Can. 2409. Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis.

Declaratio. a. *Ius vetus* poenam suspensionis per annum inferebat *Capitulis* etiam Ecclesiarum Cathedralium. — *Ius novum* aliter.

b. *Praescriptum* c. 958, servandum sub censura suspensionis, est huiusmodi : « Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt, quamdiu iurisdictionem in territorio retinent... de Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum ».

c. « *Vicarius Capitularis* » qui ad normam iuris electus: c. 429, et ss., sede vacante aut impedita, dioecesim regit. Itemque *Administrator*, quem ex speciali S. Sedis dispositioni Archiepiscopus vel Episcopus dioecesi dederint : c. 431, § 2; non tamen ita videtur Administrator Apostolicus, qui datus fuerit ad tempus : c. 315, § 2.

d. « *A divinis* » : prohibetur igitur omnis actus potestatis ordinis, quam quis sive per ordinationem sive per privilegium obtinuerit : c. 2279, § 2, n. 2. Cf. n. 104.

Unde: 1. **Causa integra** censurae tripliciter est :

a) si dimissoriae litterae intra annum *arctatis* concedantur *sine* accedente consensu Capituli ; *b)* si intra annum concedantur *non coarctatis*, quamvis consensus Capituli accesserit ; *c)* si concedantur quidem alicui saeculari post annum a sede vacante, sed sine accedente Capituli consensu.

2. **Obnoxius** est suspensioni solus Vicarius Capitularis seu Administrator ab Episcopo vel Archiepiscopo datus ; non autem Capitulus, qui in dimissoriis concedendis contra legem consenserit.

117. *Quid de sexta nemini reservata, quae est in clericum resignantem in manus laicorum ?*

Can. 2400. Clericus, qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit.

Delaratio. a. *Ius novum* est; plectitur violatio legis, qua officium, beneficium, dignitas ecclesiastica non nisi illi auctoritati renuntianda sunt, a qua accipiuntur, scilicet auctoritati ecclesiasticae competenti : c. 187, 147.

b. « *Officium, beneficium, dignitatem ecclesiasticam* » ; de his vid. p. 64.

c. « *Praesumpserit* » ; ergo a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.°

d. « *Resignare* » ; idest renuntiare, abdicare ex aliqua praeiactata causa. — Haec resignatio, quae a clerico fieret in manus laicorum, sane invalida est: c. 187. Sed ut ex ipsa detur censura, fieri debet *formalitate propria* resignationis, idest: fiat sponte a clerico, sive per se sive per procuratorem speciali mandato munitum; fiat titulo resignationis *scriptis* aut etiam *verbis coram duobus testibus:* c. 186; aut fiat saltem alio modo, qui *validus* habeatur in iure civili.

e. « *In manus laicorum* » ; idest in manus auctoritatis civilis seu eorum qui eamdem reprehesentant, immo et privatorum, si in casu resignatio valeret, ut si fiat in manus patroni laici.

f. « *Suspensionem a divinis* » ; vid. supra vel n. 104.

Unde: 1. Causa integra suspensionis habetur ex formali resignatione seu renuntiatione, abdicatione voluntaria et libera alicuius *officii* vel *alicuius beneficii* vel *alicuius dignitatis* ex *ecclesiasticis* in manus laicorum.

2. **Causa non integra** esset, si defuerit *praesumptio*, aut etiam si resignatio fieret in manus alicuius auctoritatis ecclesiasticae non competentis.

3. **Obnoxii** sunt censurae clerici omnes, a tonsurato usque ad Episcopum exclusum.

118. *Quid de ea, quae reservata est proprio Superiori?*

Can. 2386. « Religiosus fugitivus ipso facto incurrit... in suspensionem, proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris ».

Declaratio. a. *Ius vetus* suspensione puniebat religiosos *eiectos*. Hodie de religiosis *dimissis* aliud cavet ius : c. 684.

b. « *Fugitivus* » dicitur, religiosus qui sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi : c. 644, § 3. Oportet tamen ut egressio e domo religiosa vere contigerit; attentata non satis esset.

c. Quid veniat nomine *religiosi :* c. 488 ; *Superioris maioris :* c. 488, 8°, fac colligas ex n. 6.

d. « *In suspensionem* » ; igitur in suspensionem latam generaliter, quae idcirco omnes effectus importat; vid. n. 102, 104.

e. « *Si sit in sacris* » ; si nempe sit subdiaconus vel diaconus vel presbyter.

Unde : 1. Obnoxius est suspensioni fugitivus subdiaconus, diaconus, sacerdos religiosus ex votis sollemnibus aut etiam simplicibus. — Huiusmodi fugitivus praeterea « ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat... » ; et si redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat : c. 2386.

2. **Obnoxii non sunt :** *Clerici* nondum professi ; *Professi* non in sacris constituti ; *Constituti* in sacris et professi, qui apostatae a religione fuerint, eo quod illegitime domum religiosam deseruerint cum animo non amplius redeundi et sic sese a religiosa obedientia subtrahendi. Hi tamen incidunt in excommunicationem, de qua n. 51.

Adn. Dubio: « An societatibus clericalibus sine votis applicantur canones 2386, 2389, 2410, 2411, 2413 »; *Pont. Commissio* d. 2-3 iun. 1918 respondit: « *affirmative quoad* can. *2386*, 2387, 2389, *quatenus* sodales vitam communem degant; *quoad* can. 240 *quatenus* societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis; *quoad* primam partem can. 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus; *et quoad* can. 2413 ». Act. Ap. Sed. a. 1918, p. 347.

119. *Quid de ea, quae reservata est Ordinario?*

Can. 2341. Si quis (clericus) contra praescriptum c. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere... non obtenta ab Ordinario loci licentia... aliam personam privilegio fori fruentem *(scilicet personam, quae sit infra Episcopum, Abbatem seu Praelatum nullius, Superiorem maiorem religionum iuris pontificii)* incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario.

Declaratio. a. *In iure antiquo* ex huiusmodi compellatione dabatur *excommunicatio* sive in clericos, sive in laicos, sive in religiosos. *Ius novum* mitius factum est.

b. « *Ausus fuerit* »; ideoque a censura excusant ignorantia crassa et causae imputabilitatem minuentes, de quibus n. 31, 3.°

c. « *Trahere ad iudicem laicum* » quid sibi velit, vid. n. 58.

d. « *Clericus* » a tonsurato usque ad Episcopum exclusum, sive saecularis fuerit, sive religiosus.

e. « *Ab Ordinario loci* », in quo ad iudicem trahenda est persona fruens privilegio fori; non, ut olim, Ordinario *proprio*. — Sed suspensio reservatur Ordinario *in genere*, et proinde absolvi potest a quolibet Ordinario, sive Episcopo sive Vicario Generali.

f. « *Personam privilegio fori fruentem* »; huiusmodi sunt omnes clerici divinis ministeriis mancipati saltem per primam tonsuram; omnes religiosi utriusque sexus eorumque novitii et laici: c. 108, 120, 614.

g. « *In suspensionem ab officio* »; vid. n. 104.

Unde: 1. **In suspensionem** incurrit *clericus* sive saecularis sive religiosus, qui non sit Episcopus, et sciens et volens delictum supra dictum consummaverit.

2. *Laicus*, qui id egerit, excommunicationem non incurrit; sed « congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur »: c. 2341.

120. *Quid de prima ex reservatis Apostolicae Sedi?*

Can. 2372. Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur.

Declaratio. a. *Ius vetus:* «suspensionem a suscepto ordine»; *ius novum:* «a divinis»; quae suspensio sane maior est, quia prohibet «omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet»: c. 2279, § 2.°

b. *Suspensione* plectitur violatio legis, qua prohibemur communicare in divinis cum huiusmodi personis; c. 2261, § 3; 2275, 2°; 2284; 1258. Haec censura ad plura mala vitanda statuta est.

c. «*Suspensionem Sedi Apostolicae reservatam*», simplici modo; idcirco, si casus sit *occultus,* ab ea potest absolvere etiam Episcopus.

d. «*Qui recipere ordines*», scilicet tam maiores quam minores, immo etiam ordinationem episcopalem; non tamen primam tonsuram, quia contextus hanc interpretationem non admittit: c. 950.

e. «*Praesumunt*»; excusat igitur non solum ignorantia crassa seu supina, sed quaelibet alia causa imputabilitatem minuens: n. 31, 3.°

f. «*A notorio apostata*» etc., sive notorietate iuris ex data sententia, sive notorietate facti. Cf. n. 68.

Unde: 1. Causa integra suspensionis *a divinis* est ex voluntaria et libera receptione alicuius ordinis sive minoris sive maioris, vel etiam consecrationis episcopalis sive ab excommunicato aut suspenso aut interdicto post sententiam, sive a notorio apostata aut sectae haereticae vel schismaticae addicto.

2. **Causa non integra** esset, si ageretur de *occulto* apostata aut sectae haereticae vel schismaticae addicto; item si ageretur de excommunicato, interdicto, suspenso *notorio* quidem, sed in quem nulla adhuc sententia data sit.

121. *Quid de secunda reservata Apostolicae Sedi?*

Can. 2371. Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; *clerici praeterea* suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam.

Declaratio. a. Delictum sane *vetus veteri* censura fortius configitur.

b. « *Clerici* » heic ex contextu canonis opponuntur *laicis,* qui continentur illo « omnes » et qui profecto nequeunt *suspensionem* incurrere, tamen possent esse suspecti de haeresi. Ut *clerici,* suspensioni obnoxii, heic accipiendi sunt *omnes clerici,* idest omnes « qui divinis ministeriis per primam *saltem* tonsuram mancipati sunt ». Et sane etiam solum *clerici ex prima tonsura* possunt puniri hac suspensione, quae generaliter lata est et quae idcirco *omne officium et omne beneficium* prohibet; cf. n. 50, 54.

c. « *Clerici.... qui per simoniam* ». Simonia quid sit vid. n. 87. Hic agitur de simonia *reali,* ex data hinc re spirituali, inde re temporali; et etiam de *mixta,* ex data hinc re spirituali inde re temporali nondum tradita.

d. « *Scienter* »; unde excusant a censura tum ignorantia crassa tum causae minuentes imputabilitatem; n. 31, 3.°

e. « *Ad ordines promoti fuerint* », idest promoti ad aliquem ordinem ex maioribus vel minoribus, aut etiam ad tonsuram: c. 950.

f. « *Sedi Apostolicae reservatam* » simplici modo; quare, si casus sit occultus, potest absolvere ab ea etiam Episcopus.

Unde: 1. Causa integra suspensionis habetur: *a*) ex voluntaria et libera simoniaca *receptione* tonsurae, aut ordinis minoris vel ordinis maioris, aut consecrationis episcopalis; *b*) ex aequali *promotione* ad horum unum, scilicet: tonsuram, ordines minores, ordines maiores, consecrationem episcopalem; *c*) ex *receptione* alicuius Sacramenti; — *d*) ex *administratione* alicuius Sacramenti. — Non datur causa suspensionis, si agitur de sacramentalibus.

2. **Obnoxius est** qui sciens et volens egerit; *non vero* qui bona fide aut non libere omnino fecerit. Hic tamen poena *privationis* afficitur, a qua Ordinarius poterit quidem dispensare. Cf. n. 129, 5.ª

§ 2. – *Suspensiones–poenae.*

122. *Quot numerentur.*

R. 1. *Sex* numerantur ; quarum prima est nemini reservata, ceterae vero reservantur Apostolicae Sedi.

2. Cum agatur de poenis vindicativis disciplina specialis de earum contractione et remissione revocetur ex n. 134 ; 140 ; 141.

123. *Quid de prima, nemini reservata ?*

Can. 2410. Superiores religiosi, qui contra praescriptum can. 965–967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt *per mensem* a Missae celebratione.

Declaratio. **a.** « *Superiores religiosi* », scilicet maiores et exempti, quibus est ius litteras dimissorias concedendi.

b. « Qui contra praescriptum can. 965-967 ». Lege canones : ex eis videbis Superiores religiosos non posse subditos suos ordinandos mittere ad Episcopum, quem maluerint, sed teneri litteras dimissoriales *regulariter* mittere ad Episcopum dioecesis, in qua sita est domus, ad quem pertinet ordinandus. Dicitur *regulariter*, quia *casus* legitime excipiuntur. Plectuntur poena Superiores, qui *regulam* violaverint extra casus legitime exceptos.

c. « Praesumpserit » ; nota ergo praesumptionem necessariam esse ad poenam.

d. « *Per mensem* » prout est in calendario et supputandus de momento ad momentum : c. 34, § 2.

e. « A Missae celebratione » ; igitur non nisi missa est prohibita, sive celebrata sive cantata.

Adn. Ad rectam *huius* canonis intelligentiam vid. *Adn.* n. 118.

124. *Quid de secunda ?*

Can. 2373. In suspensionem *per annum* ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt :

1.° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverit ;

2.° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, 994;

3.° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7.

4.° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem, quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966.

Declaratio. a. *Ex can. 950* verbum *ordinare* comprehendit etiam primam tonsuram.

b. *Praescriptum can. 955* est: « unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum *legitimis eiusdem litteris dimissoriis* ». — Episcopus proprius *saecularium* « est tantum Episcopus dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine, aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo, de quo can. 964, n. 4 »: c. 956. — Et pro *saecularibus* dimissorias dare possunt, quamdiu iurisdictionem in territorio retinent: *Episcopus* proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit, licet nondum sit consecratus; *Vicarius Generalis*, ex speciali Episcopi mandato; de Capituli consensu *Vicarius Capitularis* post annum a sede vacante; intra annum solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum; *Vicarius* ac *Praefectus* Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores: c. 958. — Et pro *religiosis exemptis* dat Superior eorum maior; pro *non exemptis* concedit Ordinarius loci, cuius iurisdictioni subest sodalis religiosus ordinandus: c. 964, n. 2°, 4°. — Litterae concessae possunt revocari aut limitari, sed resoluto iure concedentis non exstinguuntur: c. 968.

c. *Ex praescripto can. 993,* promovendus ad ordines afferre debet, inter alia, « testimoniales litteras Ordinarii loci, in quo promovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit. — Quod sane contingit pro clericis,

qui e pluribus dioecesibus in seminariis regionalibus colliguntur. — Et *canon 994* dicit: « Tempus, quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere, est regulariter, *pro militibus* trimestre, *pro aliis* semestre post pubertatem; sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius tempus commorationis, et ob tempus quoque, quod pubertatem praecessit. — *Si loci Ordinarius* neque per se neque per alios promovendum satis noverit, ut testari possit eum, tempore, quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, *aut si promovendus* per tot dioeceses vagatus sit, ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per *iuramentum suppletorium* a promovendo praestandum. — Si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt ».

d. *Canone 974, § 1, n. 7* praescribitur, ad licitam ordinationem, « titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus » ; id est titulus *beneficii, patrimonii, pensionis,* pro saecularibus, *paupertatis* pro religiosis ex votis solemnibus, *mensae communis, Congregationis* pro religiosis ex votis simplicibus ; titulus etiam *servitii dioecesis* vel *missionis,* si quis iureiurando servitio dioecesis vel missionis se perpetuo voverit.

e. *Casus illi,* de quibus in can. 966, et qui occurrentes excusant a poena, sunt huiusmodi: « cum Episcopus dioecesanus (*Superiori religioso*) licentiam (*mittendi litteras dimissorias*) dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat, qui charactere episcopali polleat » : c. 966, § 1. — *Legitime* autem casus probatus erit « cum Episcopo ordinaturo constiterit ex authentico Curiae episcopalis testimonio » : c. 966, § 2.

f. *Lex* praesumptionem non postulat; et idcirco *ignorantia vincibilis* a suspensione non excusat: c. 2229, § 3.

125. *Quid de tertia, quae afficit personas tam morales quam physicas?*

« Capitula, conventus aliique omnes, ad quos spectat... ipso facto a iure eligendo, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae », siquempiam ad beneficium vel dignitatem ecclesiasticam ele-

ctum, praesentatum, nominatum in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem admiserint ante litterarum confirmationis vel institutionis praesentationem: c. 2394, 3.°

Declaratio. a. *Ius vetus:* « suspensionem a suorum beneficiorum... Capitula, Conventus aliique omnes » ; igitur *ius novum* poena maiore animadvertit in delinquentes.

b. « *Capitula* » etc. est suspensio lata in personam moralem.

c. *Ignorantia vincibilis* non excusat a tali censura, quae est poena vindicativa.

126. *Quid de quarta, quae est in religiosum clericum invalide professum?*

Can. 2387. Religiosus clericus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit.

Declaratio. a. *Poena suspensionis generalis* est, cuius effectus videantur n. 102. Requiritur ut professio religiosa, sive sollemnis, sive simplex, sive perpetua, sive temporaria, fuerit irrita atque talis declarata ob dolum ex parte profitentis, non vero ex parte aliorum. Et nota: « *ad validitatem* cuiusvis professionis requiritur, ut: 1.° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573; - 2.° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones; - 3.° Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit; - 4.° Professio sine vi et metu gravi *aut dolo* emittatur; - 5.° Sit expressa; - 6.° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. — Ad validitatem vero professionis perpetuae, sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper, ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574 »: c. 572. *Norma canonis 573* est: « Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni sive simplici ».

b. *Ignorantia vincibilis* non excusat: c. 2229, § 3.

127. *Quid de quinta?*

Can. 2370. Episcopus aliquem consecrans in Episcopum; Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assisten-

tes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.

Declaratio. a. *Ius novum est,* quod profecto non sine ratione inductum est ab Ecclesia.

b. « *Suspensione* » plectitur violatio canonis 953, qui dicit: « Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato ».

c. « *Episcopus* », profecto Ecclesiae Latinae: c. 1; non Cardinalis.

d. « *Consecrans aliquem in Episcopum* »; quemlibet sane, et licet agatur de Episcopo iam legitime electo.

e. « *Suspensi sunt* »; suspensione generaliter data, et idcirco tum *ab officio* tum *a beneficio;* n. 102, 106.

f. « *Donec Sedes Ap. eos dispensaverit* »; igitur suspensio est Ap. Sedi reservata, simpliciter. — Consecratio profecto valida esset.

g. *Agitur de poena vindicativa,* non vero de censura, quia irrogatur ad beneplacitum Superioris et non *absolutione* sed dispensatione remittitur: c. 2236, § 1; 2241; 2286. Cf. *Sole* p. 364.

Unde: 1. Obnoxii sunt suspensioni, ex integra causa: *a)* Episcopus consecrans; *b)* Episcopi duo illi, qui *adsistunt,* aut duo presbyteri, qui eorum locum teneant; *c)* consecratus.

2. **Obnoxii non sunt** ceteri Episcopi aut sacerdotes, qui consecrationi solum intersint, licet pontificalibus induti; nec Cardinalis, qui consecraverit aut in Episcopum fuerit consecratus.

128. *Quid vero de sexta Apostolicae Sedis?*

Clericus in sacris constitutus et professus ex votis perpetuis, si a religione « dimittatur ob delicta minora iis, de quibus in can. 600, ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit ». Cf. can. 669, 670, 671.

Declaratio. a. *Hanc suspensionem in indice analytico-alphabetico Codicis non inveneris;* ibi *ea desideratur.*

b. *Ad intelligentiam* ipsius suspensionis lege canones 669, 670. — Can. 669 : « *Professus, qui vota perpetua* emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis, quae aliud ferant. — Si *clericus est in minoribus* ordinibus constitutus, eo ipso *reducitur ad statum laicalem* ». — Can. 670: « *Clericus in sacris,* qui aliquod delictum commisit, de quo in can. 646, aut dimissus est ob delictum, quod iure communi punitur infamia iuris, vel depositione vel degradatione, *perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum* ». Et canon 671 pergit: « si vero dimittatur ob delicta minora iis, de quibus in canone 670, 1°, ipso facto *suspensus manet* ».

c. « *Si dimittatur* », ex sententia iusta, legitima, lata ad normam cc. 654-668, confirmata a S. Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita et exsecutioni mandata: c. 666.

Igitur (quoniam in iure agitur « *de religiosis dimissis, qui vota perpetua nuncuparunt)* **Subdiaconus, Diaconus, Presbyter** religiosi ex professione perpetua, sive sollemni sive simplici, si rite dimittantur a religione ob delictum, quod de iure communi nec infamia iuris nec depositione nec degradatione puniatur, *in hanc suspensionem* incurrunt, quae est Apostolicae Sedi reservata simpliciter; a qua igitur, si casus sit occultus, potest etiam Ordinarius absolvere, per se vel per alium; c. 2237, § 2. — *Quomodo* autem sit Episcopo loci agendum cum tali religioso, vid. can. 671.

Adn. a. *Verba* can. 670: « delictum, quod iure communi *punitur* infamia iuris » intelligenda sunt de poena sive *latae* sive *ferendae* sententiae. Et quoad huiusmodi delicta cf. n. 144, *adn.*

b. Ad normam can. 2236, § 1, minus proprie haec poena in can. 671, 1° dicitur per *absolutionem* tollenda. Cf. n. 127, g.

§ 3. – *Suspensiones ferendae sententiae.*

129. *Quaenam et in quas personas sint institutae.*

Suspensiones canonicae ferendae sententiae sunt viginti; ex quibus aliae sunt *censurae,* aliae vero *poenae*

vindicativae. Institutae vero sunt in subiectas personas, quae deliquerint, prout referuntur :

1.ª In canonicum theologum et poenitentiarium : c. 2384 : « Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae, qui illorum vices suppleant; et perdurante *per integrum annum* negligentia post monitionem, *suspensione a beneficio* plectat; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet ».

Adn. a. « *Canonici theologi* est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare sacram Scripturam; sed Episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere. — Canonicus theologus munus expleat suum ipse per se, vel si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum. — Episcopus gravi de causa potest canonico theologo ut committere, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat » : c. 400.

b. *Canonicus poenitentiarius* « debet in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi, opportuniore et praesto esse iis, qui ad confitenda sua peccata accedunt ipso quoque divinorum officiorum tempore » : c. 401, § 2.

2.ª In administrantem Sacramenta indignis : c. 2364 : « Minister, qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis, qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur *ab administrandis Sacramentis*, *per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum*, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis ».

Adn. a. Agitur de poena vindicativa uti patet, non de censura : c. 2241, § 1 ; et cum lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est : c. 2223, § 3.

b. « *Vetitum* est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus, eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint » : c. 731, § 2.

« *Arcendi sunt* ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satis fecerint » : c. 855, § 1. — « *Occultos* vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat » : c. 855, § 2.

Ubi Ordinarius loci prohibuerit sacerdotes, quominus Eucharistiam concedant feminis propter vestium indecentiam indignis, putamus, Ordinarium posse transgressores ordinationis hoc iure punire.

c. *Peculiares poenae* de iure statutae sunt, e. g., in communicantes in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258; qui idcirco fiunt suspecti de haeresi: c. 2316, ideoque haereticorum poenis obnoxii: c. 2315; item « clerici scienter et sponte in divinis cum eodem (*vitando*) communicantes et ipsum in officiis recipientes ipso facto incurrunt in excommunicationem Ap. Sedi simpliciter reservatam : c. 2338, § 2.

3.ª In clericum non gestantem tonsuram et habitum ecclesiasticum: can. 2379. « Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur; transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet, servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3; clerici autem maiores, salvo praescripto can. 188, n. 7, *ab ordinibus receptis* suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione, deponantur ».

Adn. a. « *Clerici... graviter moneantur* » ; igitur praemittendae sunt monitiones, de quibus c. 2233 § 2, ubi legitur: « licet id legitime constet (*idest* delictum commissum fuisse), reus reprehendatur ac moneatur, ut a contumacia recedat ». *Sole,* p. 377.

b. *Quid de barba?* Ex eo quod canon 136 agit de simplici cultu capillorum habendo et nihil dicit de barba radenda, nonnulli deducere coeperunt libertatem gestandi barbam, unde quaesitum est: « an Codice iuris canonici data sit quibuscumque clericis saecularibus libertas gestandi barbam, et respective, an Episcopis competat prohibitionem hucusque vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis ». Et S. C. Concilii die 10 ian. 1920 respondit : « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad alteram.

4.ª In clericum usurpantem bona ecclesiastica. Vid. n. 62.

5.ª In ordinatum bona fide a ministro prohibito: c. 2372: « Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; *qui vero bona fide* a quopiam eorum sit ordinatus, *exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur* ».

Adn. a. *Ius vetus:* « Suspensionem ab ordine suscepto »; *ius novum:* « suspensionem a divinis; ex hoc igitur poena maior.

b. « *Qui recipere ordines praesumunt* »; si dantur *mala fides* et *praesumptio,* censura incurritur, qua ordinatus privatur ab omni exercitio potestatis ordinis, receptae sive per ordinationem, sive per privilegium seu commissionem: c. 2279, § 2, n. 2.

c. « *Qui bona fide* » etc. Agitur de simplici privatione, quia, ubi nulla culpa, ibi nulla poena: c. 2218 § 2. Ante dispensationem peccaret ministrando in susceptis: *D'Annib.* n. 206. *Dispensatio* vero non est reservata; tamen, « donec dispensetur a suo episcopo », dicunt *Bucceroni* et *Sole,* p. 366.

6. In sacerdotes Missam iterantes aut celebrantes non ieiunos: c. 2321: « Sacerdotes, qui contra praescripta can. 806, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur *a Missae celebratione ad tempus*, ab Ordinario secundum rerum adiuncta praefiniendum ».

Praescriptum can. 806: § 1. « Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario

§ 2. Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere ».

Praescriptum can. 808: 2. « Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato ».

Adn. a. Agitur de lege verbis *praeceptivis* expressa ac proinde ordinarie poena infligenda est: c. 2223, § 3 quoties de violatione legis certe constiterit.

b. « *Praesumpserint* » ex eo quod scientes et volentes violaverint praescripta can. 806 et 808: *D'Annib.* § 312, not. 71.

c. *Quaesitum est:* « Se per ragioni di scandalo o di ammirazione si possa giammai celebrare la seconda Messa dopo la prima, quando già è stato infranto il digiuno ». Et S. Off. d. 2 dec. 1874 respondit: *Negative.*

Hoc tamen caute intelligendum est et componi debet cum iis, quae ad rem a probatis Auctoribus traduntur. Etenim lex ieiunii cessat: *a*) si integrandum sit sacrificium Missae: *S. Alph.* VI, 288; si, e. g., celebrans morbo corripiatur post consecrationem; aut si celebrans post sumptionem calicis comperiat se aquam consecrasse: *Noldin* III, n. 151; - *b*) si agatur de infamia secus subeunda, aut de gravissimo vitae periculo secus incurrendo: *S. Alph.* n. 289, 288; ut si parochus die dominico sit ad altare et recordetur de violato ieiunio, vel, licet nondum ad altare sit, nequeat tamen sine gravi scandalo et offensione populi Missam omittere: *Noldin*, n. 153; *D'Annib.* III, 411, not. 36. - *c*) ut S. Viaticum sumatur; et si sacerdos celebrans sit sumpturus, certe; si alius sit, probabiliter: *Noldin*, n. 155; *Lugo*, d. 15.

7.ª In sacerdotes collationibus casuum non intervenientes: c. 2377: « Sacerdotes contra praescriptum can. 131 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos *ab audiendis saecularium confessionibus* suspendat ».

Praescriptum can. 131: § 1. In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.

§ 2. Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.

§ 3. Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet, exempti, curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt ».

Adn. a. *Ecclesia* particulari sollicitudine postulat debitam scientiam in confessario. Unde etiam legitur: « expleto studiorum curriculo, *sacerdotes omnes*, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum »: c. 130; « et qui ad universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes (ad normam decreti S. C. Consist. 30 apr. 1918), si novensiles sint, ab examinibus, quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129 » : S. C. Consist. 31 apr. 1918. — Praeterea: « si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent (Ordinarii vel Superiores religiosi), num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse (confessarius), eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario » : c. 877, § 2. — Quanta, inquam, Ecclesiae sollicitudo, quot leges, et tamen oh quam exiguus confessariorum numerus, qui tali nomine digni sint non solum pietate et prudentia sed et scientia, quae prima in confessario requiritur.

b. « *Contumaces* » ; ergo monitiones, de quibus c. 2233, § 2 sunt praemittendae.

8.ª In sacerdotem reum sollicitationis in confessione : c. 2368, § 1 : « Qui sollicitationis crimen, de quo in can. 904, commiserit, suspendatur *a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus* vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur ».

Adn. a. De delicto sollicitationis seu de can. 904 vid. n. 45.

b. *Poenae*, hic adnotatae, sunt omnes ferendae sententiae, et processus est conficiendus ad normam instructionis S. Officii 20 febr. 1866: *Sole,* p. 357 cum *Card. Lega.*

c. Ex citata instructione si reus sollicitationis antequam denuntietur se sistat Ordinario loci eiusve delegato et sponte crimen confiteatur, poenitentiis dumtaxat salutaribus subiicitur, adiecto consilio vel praecepto, ne personam sollicitatam audiat amplius: et immunis erit a poenis, de quibus canon hic 2368, etiamsi postea denuncietur.

9.ª In clericum suspectum de haeresi : c. 2315: « Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur *a divinis;* quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. – Cf. n. 69.

10.ª In clericos concubinarios vel contra sextum speciali malitia delinquentes : c. 2359, § 1: « Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi *concubinarii*, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione *a divinis,* privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181.

§ 2. Si delictum admiserint *contra sextum* decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, *suspendantur,* infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur.

§ 3. Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant ».

Adn. a. Can. 2176: « Ordinarius clericum, qui contra praescriptum can. 133 *mulierem suspectam secum habeat aut quo-*

quo modo frequentet, moneat, ut eam dimittat vel ab eadem frequentanda sese abstineat, comminatis poenis *in clericos concubinarios,* can. 2359 statutis ».

Can. 2177 : « *Si clericus* neque praecepto pareat, neque respondeat, Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum praestare potuisse :

1.° Eum *suspendat a divinis;*

2.° Parochum praeterea statim paroecia privet;

3.° Clericum vero, qui aliud beneficium sine animarum cura habet, si exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus; post alios tres menses, ipsomet beneficio ».

Can. 2181 : « Si ne eae quidem (*causae excusationis a tali clerico adductae*) iudicentur legitimae, Ordinarius clerico rursus praecipiat, ut intra congruum tempus mandato obtemperet; quo tempore inutiliter transacto, procedat ad normam can. 2177 ».

b. *De laicis* ita: « Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas, quas Ordinarius infligendas iudicaverit. — Qui publicum adulterii delictum commiserit, vel in concubinatu publice vivat, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae poenitentiae dederint »: c. 2357, § 1, 2.

c. « *Clerici in minoribus* ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur *etiam dimissione* e statu clericali, *si delicti adiuncta id suadeant,* praeter poenas, de quibus in can. 2357, si his locus sit » : c. 2358. — Delicti adiuncta dimissionem e statu clericali suggerunt, si clericus nequit promoveri cum decore aut puro corde et mundo corpore sacris ministeriis inservire: c. 212, 1363.

11.ª In clericos maiores munus commissum deserentes: c. 2399 : « Clerici maiores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur *a divinis ad tempus* ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum ». — Est igitur suspensio infligenda uti poena *vindicativa,* non ut censura.

12.ª In detrectantem deserere sublatum officium, beneficium, dignitatem: c. 2401 : « Si quis

in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut, ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem *a divinis* aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa».

Adn. Quisque tenetur decreto amotionis vel sententiae privationis obedire ut canone 2156, § 1 explicite dicitur: «sacerdos a paroecia amotus debet quam primum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere».

13.ª In violantes obligationes de Missarum stipe: c. 2324: «Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, *suspensione* aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione».

Adn. a. Can. 827: «A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur».

Can. 828: «Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint».

Can. 840, § 1: «Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre trasmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae».

b. Nullum dubium, quin delinquentes possint prudenti Ordinarii iudicio puniri poenis tum vindicativis tum medicinalibus, quae sunt censurae.

c. In Const. *Apostolicae Sedis* excommunicatio latae sententiae erat in «colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent». Et praeterea poenae canonicae dabantur ex decreto *Vigilanti* Leonis XIII d. 25 maii 1893 et decreto *Ut debita* Pii X d. 11 maii 1904; ex quibus nunc colligere est, quae actiones sint prohibitae et vitandae *ne species negotiationis vel mercaturae videatur;* earum tamen poenae abrogatae manent: c. 6, 5.°

14.ª In violantes clausuram monialium: c. 2342 1.° «Si clerici sint, praeterea (*idest praeter excommunica-*

tionem, quam contrahunt) *suspendantur per tempus pro gravitate culpae* ab Ordinario definiendum ». Cf. n. 59.

15. In clericos bona ecclesiastica sine debita venia alienare praesumentes: c. 2347, 2.° « Si agatur de re, cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum... clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia *non* obtinentes, *suspendantur ad tempus,* ab Ordinario definiendum ». Cf. n. 43.

16.ª In clericos, qui manus intulerint in seipsos: c. 2350, § 2. « Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, 3°; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, *suspendantur ad tempus* ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis, curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus, removeantur ».

Adn. *Ad normam* can. 1240, § 1, 3,° hoc est dummodo constiterit se sibi mortem intulisse « deliberato consilio ». Praeterea ad normam eiusdem canonis poena huiusmodi infligi nequit, si ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa.

17.ª In presbyterum Confirmationem sine facultate administrantem: c. 2365. « Presbyter, qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens, sacramentum confirmationis ministrare ausus fuerit, *suspendatur;* si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso facto privatus existat ».

Adn. a. « *Ordinarius* confirmationis minister est solus Episcopus. *Extraordinarius* minister est presbyter, cui vel *iure communi* vel peculiari Sedis Apostolicae *indulto* ea facultas concessa est. Hac facultate *ipso iure* gaudent, praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus *nullius,* Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum. Presbyter latini ritus, cui, vi *indulti,* haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit» : c. 782.

b. « *Suspendantur* ». Contra delinquentes huiusmodi statuitur infligenda censura suspensionis generalis, idest tum ab officio tum a beneficio ; c. 2278.

c. « *Privatus exsistat* ». « Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur » : c. 78.

18.ª In clericos maiores graviter negligentes ritus et caeremonias : c. 2378. « Clerici maiores, qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, *suspendantur pro diversa reatus gravitate* ».

Adn. a. « **Si quis** dixerit, receptos et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus, in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut *sine peccato* a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit ». Conc. Trid. sess. VII de Sacram. can. 13.

b. S. Alphonsus l. IV, n. 400 ait, « difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi haec sit ex brevioribus ».

19.ª In clericos perpetrantes delictum simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis ; c. 2392, 3° : « Si clerici sint... suspendantur ». Cf. n. 82.

20.ª In occupantes beneficium, officium vel dignitatem propria auctoritate vel sine praesentatis litteris : c. 2394, « Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet :

1.° Sit *ipso iure* ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur ;

2.° *Per suspensionem,* privationem beneficii, officii, dignitatis, antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupation eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere ».

Adn. a. Clericus ob illatam aliis iniuriam aut laesam famam *potest* suspendi: c. 2355.

b. Suspensiones ferendae sententiae an et quo iure communi sint applicandae seu infligendae vid. n. 133 et ss.

130. *Tot tantaeque poenae comminatae quid clericos doceant.*

R. 1.° **Finis primarius** Codicis promulgati est salus animarum; hinc factum est, ut quamvis « Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retineat...., opportunas immutationes afferat »; c. 6.

2.° **Finis secundarius,** quasi medium ad primarium, est sanctificatio Clericorum, qui *ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in iis, quae sunt ad Deum* et ad salutem animarum; hinc leges et monitiones et adhortationes particulari sollicitudine plenae pro clericis; e. g., « ut clerici omnes poenitentiae Sacramento frequenter conscientiae maculas eluant; ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant »: c. 125; hinc etiam poenae, quas vidimus, in clericos delinquentes, ut a malo abstineant omnino et scandalum removeatur a fidelibus.

3.° **Tot igitur poenae** hoc unum doceant clericos: quantum sit desiderium et quanta voluntas Piae Matris Ecclesiae, ut omnes sancti fiant, secundum propriam vocationem, et constanter serviant Deo et Iesu Christo, ad salutem sui et animarum. Et sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt tamquam ipsius divini Petri voce firmatae sint. Can. 2, Dist. XIX.

TERTIA PARS

DE POENIS VINDICATIVIS. REMEDIIS POENALIBUS ET POENITENTIIS

CAPUT I.

De poenis vindicativis.

ART. I. - ***De poenis vindicativis in genere.***

131. *Poenae vindicativae quaenam dicantur.*

CAN. 2286. « Poenae vindicativae illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt, ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat ». Cf. n. 1, 2.

132. *Quae distinctiones sint potissimum attendendae.*

R. 1. Distinctio, qua poenae aliae sunt ferendae sententiae, aliae vero latae sententiae ; istae quidem « delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenent » : c. 2232, § 1 ; illae vero non nisi a prolata legitima sententia.

2. Distinctio inter poenas irrogatas *per modum praecepti*, et poenas irrogatas *per modum iudicii ;* illae sunt a

legitimo Superiore extra iudicium ; istae a legitimo iudice in iudicio. Cf. n. 8, adn. a ; 11, 12.

133. *Quinam valeant poenas infligere, ad normam iuris.*

Can. 2220, § 1. Qui pollent potestate... iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.

Can. 1933, § 4. Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium.

Unde, non solum legitimus iudex in iudicio, sed et legitimus Superior extra iudicium potest poenas ad normam iuris infligere. Sunt hic recolenda plura, quae dicta fuerunt n. 7 ; *praeterea :*

a. « *Ex delicto* oritur : 1. Actio poenalis ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam ; 2. Actio civilis ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit » : c. 2210, § 1.

b. « *Licet lex* nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat » : c. 2222, § 1 ; dummodo « servetur aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni ; quare attendi debent non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personae, quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, finis intentus, locus et tempus, quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, *aliqua similia* » : c. 2218, § 1. (Sed si subditi et Superiores perpendere noverint etiam solum *haec,* quae dicta sunt, iam satis est, ut debeamus omnes simul benignitatem ac prudentiam Matris Ecclesiae admirari).

c. « *Delictum* quod *unice* laedit Ecclesiae legem, natura sua, *sola* ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum iudicaverit, auxilio brachii saecularis ; delictum, quod *unice* laedit legem societatis, iure proprio, salvo praescripto can. 120, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati ; deli-

ctum, quod laedit *utriusque* societatis legem, ab utraque potestate puniri potest » : c. 2198.

d. *Licet lex* poenalis posterior *obroget* anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est reo lex favorabilis. — Quod si lex posterior *tollat* legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis » : c. 2226, § 2, 3 ; quamvis, ut videtur, censurae contractae sint ob illatam sententiam.

e. « *Delictum frustratum* aut conatus delicti, nisi tamquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri » : c. 2235, salvo salutari praescripto c. 2213, § 3, quod est : « *ab omni imputabilitate* liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit ».

f. « *Non solum* quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae *a gravi*, excusant pariter *a qualibet poena*, tam latae quam ferendae sententiae, etiam in foro externo » : c. 2218, § 2.

g. *Nulla poena* infligi potest nisi *certo* constet delictum commissum fuisse et non esse legitimum praescriptum » : c. 2233, § 1.

Attamen : « Legitimus Superior, *licet probabile* tantum sit delictum fuisse commissum, aut delicti certe commissi poenalis actio *praescripta sit*, non solum ius, sed etiam officium habet *non promovendi clericum*, de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum *prohibendi clerico* exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi ; quae omnia in casu non habent rationem poenae » : c. 2222, § 2.

h. *Modus :* « Si poena declaretur vel infligatur per sententiam iudicialem, serventur can. praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem ; si vero poena *latae* vel *ferendae sententiae* inflicta sit ad modum *praecepti* particularis, *scripto* aut coram *duobus testibus ordinarie* declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193 » : c. 2225. — Praescriptum autem can. 2193 est : « prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur *suspensionis* causam seu delictum clerico patefacere aut reticere ».

i. *Interpretatio et acceptatio.* « In poenis benignior est interpretatio facienda. — At si dubitetur, utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo » : c. 2219, § 1-2. — Iamvero *appellatio in suspensivo* pro poenis vindicativis conceditur quidem, sed non conceditur *pro inflictis censuris :* c. 2243. Cf. n. 13.

l. *Applicatio et declaratio.* « In poenis applicandis iudex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant.

Si lex in statuenda poena ferendae sententiae facultativis verbis utatur, committitur prudentiae et conscientiae iudicis eam infligere, vel, si poena fuerit determinata, temperare.

Si vero lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est; sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur:

1. *Poenae applicationem* ad tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;

2. *A poena infligenda abstinere*, si reus perfecte fuerit emendatus et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis;

4. *Poenam determinatam temperare* vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem.

Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis, cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet»: c. 2223.

m. *Si plura delicta:* «Ordinarie tot poenae, quot delicta. — Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum. — Si poena constituta sit tum in conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta»: c. 2224.

n. *Si reus* aliqua de causa excusante «censuris latae sententiae non teneatur, id non impedit, quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat»: c. 2229, § 4.

o. *Poena applicata:* «iudex, qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit»: c. 2236, § 3.

134. *Quinam sint poenis infligendis obnoxii, quinam vero non.*

R. 1. «Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur»: c. 2226, § 1.

2. « Prima Sedes a nemine iudicatur » : c. 1556. — Nec ullus Superior est obnoxius poenis quas ipse statuit.

3. « Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi : 1.° Eos, qui supremum tenent populorum principatum, horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum ; 2.° Patres Cardinales ; 3.° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares » : c. 1557, § 1, 1.° 2.° 3.°

4. « Tribunalibus vero Sedis Apostolicae reservatur iudicare Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, ut religiones exemptas, Congregationes monasticas etc. » : c. 1557, § 2, 2.°

5. « Impuberes potius punitionibus educativis quam poenis gravioribus vindicativis corrigantur ; sed puberes, qui eos ad legem violandam induxerint, vel cum eis in delictum concurrerint, ad normam can. 2209, §§ 1-3, ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt » : c. 2230.

6. Cooperatores, ad normam iuris ; et cf. n. 10.

7. « Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti. — Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum et sententiam in eum ferendi » : c. 1566.

135. *Quaenam causae excusent a poenis vindicativis.*

R. 1. Quaenam in iure dicantur excusare, vid. n. 30.

2. Quandonam singulae de facto excusent, v. n. 31. — Hic speciatim notetur, quod, si lex non habet verba *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, ignorantia legis aut etiam solius poenae, sive crassa sive *vincibilis*, non excusat a poenis vindicativis latae sententiae : c. 2229, § 3, 1.°

136. *Poena vindicativa quandonam obliget.*

R. Conferantur dicta n. 8, 11, 12.

137. *A poenis vindicativis qualis detur recursus.*

Can. 2287. « Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud expresse in iure caveatur ». Cf. n. 13.

Adn. Dicitur *appellatio* seu *recursus,* quia, si poena inflicta fuerit per sententiam iudicialem, *appellatio,* si vero per decretum seu ad modum praecepti particularis (c. 2243, § 1) *recursus* interponitur.

138. *An et quando iudex suspendere possit quarundam poenarum exsecutionem.*

Can. 2288. « Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, prudentiae iudicis remittitur, si reus talis sit, ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat ».

Adn. a. *Dispensatio* poenae est contra intentionem legis, quia lex vult, ut poenae luantur, prout latae sunt; ideoque tunc tantum elargienda est poenae dispensatio, quum gravis necessitas publica aut privata hoc suadeat, ac praesertim si reus sit perfecte emendatus et scandalum remotum et compensatum; poenae enim sunt ad bonum animarum et societatis; et vindicativae ad satisfaciendum societati, cuius ordo turbatus est, potissimum tendit.

b. *Plura* tamen requiruntur, ut iudex valeat exsecutionem poenae suspendere: *a*) non adsit necessitas reparandi scandalum; quo in casu consulendum est bono communi per exsecutionem poenae, qua alii a delicto patrando absterreantur. Et inde fit, ut aliquando reus, absolvendus a censura ob cessationem contumaciae, plectendus sit poenitentia et poena vindicativa: c. 2248; – *b*) reus sit talis prima vice post vitam laudabiliter peractam; in casu enim eius emendatio facilior evadit ex benignitate quam ex severitate, et exinde etiam, ex communi humanitatis sensu, minus est periculum scandali ex non servata poena; – *c*) suspensio poenae sit sub conditione, scilicet huiusmodi, « ut si reus, intra proxi-

mum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delictum debitam luat». — *Poenae* degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii excipiuntur, quia regulariter infliguntur ob graviora delicta, pro quibus necessitas reparandi scandalum semper urget; ideoque poena est luenda.

139. *Poena vindicativa quomodo finiatur et remittatur.*

Can. 2289. «Poena vindicativa finitur eius expiatione vel dispensatione ab eo concessa, qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236».

Unde: 1. *Poena vindicativa* reum suapte natura tenet ubique locorum, in perpetuum vel ad tempus praefinitum ab ipso iudice seu Superiore. Duratio poenae non pendet a cessatione contumaciae, sed a sententia iudicis, qui ad satisfaciendum societati, cuius ordo turbatus est per delictum, et ad vitandum scandalum, talem poenam luendam censuit et decrevit.

2. *Dispensari* potest: *a*) ab eo qui eamdem tulit; *b*) ab eius Superiore et successore; *c*) ab eo, cui haec potestas delegata sit; *d*) ab eo, qui potest a lege eximere: c. 2236, § 1, 2; tamen ad normam can. 2288. Vid. n. 138.

3. *Dispensatio* poenae est contra intentionem legis: *Sole* p. 189; est actus gratiae, qua quis a lege communi eximitur, quae proinde potest etiam disposito denegari, nullo habito recursu, et quae non nisi ad normam iuris est concedenda: cf. n. 138.

4. Praecipue notandum: «si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis»: c. 2226, § 3.

5. «Licet poena etiam oretenus remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur»: c. 2239, § 2.

140. *Quid valeant Ordinarii super poenis latae sententiae iure communi statutis.*

Can. 2237, § 1. «In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis:

1.° Casibus ad forum contentiosum deductis;
2.° Censuris Sedi Apostolicae reservatis;
3.° Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam, eorumque privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.

§ 2. In casibus vero occultis, firmo praescripto c. 2254. et 2290, potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis ».

Adn. a. *Ordinarius* igitur (ut sunt Episcopus, Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis) potest etiam per alium suipsius delegatum remittere in utroque foro:

a) **in casibus occultis** *omnes poenas latae sententiae* in iure statutas, quae fuerint contractae, de quibus n. 141, 146; non vero poenas easdem *ferendae sententiae,* quae ideo fiunt *ab homine:* c. 2218, § 1, n. 3, de quibus illius est absolvere, cuius est ligare;

b) **in casibus publicis** omnes easdem poenas, *si casus* non fuerit ad forum contentiosum iam deductus, *et si excipias:* 1. *inhabilitatem* ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam; 2. *privationem perpetuam* eorundem; 3. *suspensionem perpetuam* ab eisdem; 4. *infamiam iuris;* 5. *privationem* iuris patronatus; 6. *privationem* privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.

b. Casus dicitur deductus ad forum contentiosum, cum iudex competens negotium pertractare coeperit.

c. *Praescriptum* can. 2254 vid. n. 25, et can. 2290 vid. n. 140.

d. *Casus* quinam sint habendi publici, et quinam occulti, vid. pag. 4.

141. *Quid valeat simplex confessarius.*

Can. 2290, § 1. « In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet con-

fessarius potest in foro sacramentali obligationem servanda poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poeni tentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et stand eius mandatis.

§ 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3 ».

Unde : *a*) si agatur de *poena* a iure *latae sententiae; b*) e casus sit *occultus,* eo quod saltem in loco nemo novit delinquen tem esse poena irretitum; *c*) et casus sit *urgentior* eo quia ali quid sit agendum, quod ex contracta poena fieri prohibeatur, e tempus non suppetat pro recursu faciendo ad Superiorem, *d*) e quod est delinquenti prohibitum ex poena contracta, nequea omitti a poenitente sine periculo infamiae (proderet enim semet ipsum) aut scandali, ratione personae et circumstantiarum; *ho in casu potest* simplex confessarius : *a*) *obligationem* servand poenam ad normam canonis suspendere; *b*) immo potest *ab ips poena* dispensare, ad normam iuris, si recursus, qui esset facien dus, fieri in casu non possit. — *Norma iuris* ex can. 2254, § est huiusmodi : « *iniunctis* de iure iniungendis, et imposita con grua poenitentia et satisfactione pro *poena*, ita ut poenitens, nis intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, reincidat in *poenam* ». Cf. n. 182 183; etiam n. 25.

Adn. *Ad quid* canon hic, si « ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sin infamia nequit » ut dicitur can. 2232, § 1 ? Sed animadvertendum est, quod nemini licet in causa propria sibi ius dicere; et hallu cinationis periculum sedulo vitari oportet. Hinc reus, qui delict sibi sit conscius, non potest suo iudicio suaque auctoritate sese poena eximere, sed subeat saltem iudicium confessarii, qui omnibu perpensis, et sub conditionibus a iure statutis valet obligationem poenae servandae suspendere et etiam, si sit necesse, ab e dispensare.

ART. II. — ***De poenis vindicativis communibus.***

142. *Poenae vindicativae communès quaenam sint.*

CAN. 2291. Poenae vindicativae, quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt :

1.° Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ;

2.° Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ;

3.° Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis ;

4.° Infamia iuris ;

5.° Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1 ;

6.° Privatio Sacramentalium ;

7.° Privatio vel suspensio ad tempus pensionis, quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici ;

8.° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis ;

9.° Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia, quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos ;

10.° Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae ;

11.° Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit ;

12.° Mulcta pecuniaria.

143. *Quid speciatim de poena suppressionis ?*

CAN. 2292. Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis est Romano Pontifici reservata ; sedis autem pa-

roecialis, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli.

Adn. Quid sit translatio, quid vero suppressio colligatur ex can. 1421. Dioeceses pendent a R. Pontifice: c. 215, § 1. — Ordinarius loci indiget consilio Capituli ex can. 1428.

144. *Quid de infamia?*

Can. 2293, § 1. Infamia est vel iuris vel facti.

§ 2. Infamia iuris illa est, quae casibus iure communi expressis statuitur.

§ 3. Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium.

§ 4. Neutra afficit delinquentis consanguineos aut affines, firmo praescripto can. 2147, § 2. n. 3.

Can. 2294, § 1. Qui infamia iuris laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo.

§ 2. Qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can. 987, n. 7, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis.

Can. 2295. Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa; infamia facti cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit prudenti Ordinarii iudicio recuperata.

Adn. a. Infamia est diminutio famae, idest bonae hominum existimationis. Infamia *iuris* canonici est, quando irrogatur lege Ecclesiae; quae per hoc declarat, hominem non esse habendum probum et honestum, eius bonam existimationem non amplius

protegit, ipsumque impedit a nonnullis actibus legitimis et honoribus in Ecclesia: Card. *Gasparri,* n. 296. Et infamia iuris *latae sententiae* tenet reum ante sententiam declaratoriam: c. 2232, § 1. — Infamia *facti* habetur, quando quis famae damnum patitur in opinione honestorum et gravium, quae est consequentia naturalis alicuius delicti vel morum pravorum; sed hoc iudicare est Ordinarii, non privatorum.

b. Infames ipso facto sunt septem: – 1) « *Qui* species consecratas abiecerit, vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit »: can. 2320 et vid. n. 81. – 2) « *Qui* cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit »: c. 2322; et vid. n. 100, adn. – 3) « *Qui* violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit »: c. 2343, § 1, n. 2; et vid. n. 82. – 4) « *Qui* violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis »: c. 2343, § 2, n. 2; et n. 76. – 5) « *Ipsi* duellantes et qui eorum patrini vocantur »: c. 2351, § 2; et vid. n. 63. – 6) « *Bigami,* idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint »: c. 2356. – 7) « *Laici* legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium »: c. 2357, § 1.

c. Infames de iure declarandi sunt duo: – 1) « Omnes a christiana fide apostatae, et omnes et singuli haeretici aut schismatici... nisi moniti resipuerint »: c. 2314, § 1, n. 2; et vid. n. 68. – 2) « Clerici in sacris, sive saeculares sive religiosi... si delictum admiserint contra sextum Decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, vel stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint »: c. 2359, § 1, 2.

d. Infamis infamia iuris praeterea arcendus est a *munere patrini* sive in baptismo: c. 766, sive in confirmatione: c. 796.

e. Infamis infamia facti praeterea est impeditus ad ordines: c. 987, n. 7.

f. Infamis infamia iuris post sententiam praeterea nequit suffragium ferre in electionibus, *patrinum agere* in baptismo: c. 765, aut in confirmatione; c. 795, ius patronatus exercere, vel ius privilegiis uti: c. 1470, § 4.

g. Manifesto infames arcendi sunt ab Eucharistia: c. 855, § 1.

145. *Quid de inhabilitate?*

Can. 2296, § 1. Si agatur de rebus, ad quas asse-

quendas capacitas iure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest.

§ 2. Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis.

Adn. « Haec inhabilitas, suapte natura, est perpetua, nec poenitentia deletur, sed solum dispensatione legitimi Superioris, vel etiam absolutione, si est accessoria censurae » : *Card. Lega,* n. 202.

146. *Quid de mulctis ?*

Can. 2297. Mulctas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis.

Adn. Mulctae pecuniariae habentur in iure inde a Conc. Trid. sess. XXV, cap. 14 et sess. VI, cap. 1. In novo iure ad omnem suspicionem avaritiae tollendam expressa lege determinatur usus harum multarum.

Art. III. - ***De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.***

147. *Poenae vindicativae peculiares clericorum quaenam sint.*

Can. 2298. Poenae vindicativae, quae clericis tantum applicantur sunt :

1.° Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia ;

2.° Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris ;

3.° Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius ;

4.° Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti ;

5.° Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum ;

6.° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione ;

7.° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio ;

8.° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio ;

9.° Privatio ad tempus habitus ecclesiastici ;

10.° Depositio ;

11.° Privatio perpetua habitus ecclesiastici ;

12.° Degradatio.

148. *Quid speciatim de privatione ?*

Can. 2299, § 1. Si clericus beneficium inamovibile obtineat, eodem in poenam privari potest *solum in casibus iure expressis ;* si amovibile, etiam ob alias rationabiles causas.

§ 2. Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, ex gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi etc., prohiberi ad certum tempus.

§ 3. Nequit clericus privari beneficio aut pensione, cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304.

Can. 2300. Si clericus gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum ; quae privatio, dum perdurat, secum fert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.

Adn. Beneficia sunt « manualia, temporaria, seu amovibilia, *vel* perpetua seu inamovibilia, prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum » : c. 1411,n. 4. — Privatio beneficii aut officii incurritur « sive ipso iure, sive ex facto legitimi Superioris » : c. 192, § 1. Clericus potest privari amovibili etiam citra *delictum,* ex iusta causa quidem, sed sine certo procedendi modo, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles : c. 192, § 3.

149. *Quid de praescriptione commorationis?*

Can. 2301. Ordinarius nequit praescribere, ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente.

Can. 2302. Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sint, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem.

Adn. Monumenta ecclesiastica testantur, Ordinarios hisce poenis ab antiquissimis temporibus usos esse pro criminibus clericorum coercendis. Et etiam nunc alicubi dantur *domus poenitentiae* seu *demeritorum,* ut dicuntur, quae corrigendis moribus et reparandis scandalis inserviunt.

150. *Quid de depositione?*

Can. 2303, § 1. Depositio firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secum fert tum suspensionem ab officio et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum, quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus.

§ 2. Sed hoc ultimo in casu, si clericus vere indigeat, Ordinarius pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur.

§ 3. Poena depositionis infligi nequit, nisi in casibus iure expressis.

Can. 2304, § 1. Si clericus depositus non praebet emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.

§ 2. Haec privatio secum fert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2.

151. *Quid de degradatione?*

Can. 2305, § 1. Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem.

§ 2. Haec poena ferri solummodo potest propter delictum in iure expressum, aut si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat.

§ 3. Alia est *verbalis* seu *edictalis*, quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione; alia *realis*, si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano.

Adn. Usque ad finem saeculi duodecimi poena degradationis a poena depositionis non distinguebatur. — Olim pro *reali* degradatione Episcopi, duodecim requirebantur alii Episcopi, sex si de presbytero, tres si de diacono agebatur.

CAPUT II.

De remediis poenalibus.

152. *Remedia poenalia quaenam censeantur.*

Can. 2306. Remedia poenalia sunt: 1.° Monitio; 2.° Correptio; 3.° Praeceptum; 4.° Vigilantia.

153. *Monitioni quandonam sit locus.*

Can. 2307. Eum, qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Ordinarius per se vel per interpositam personam moneat.

154. *Quandonam locus sit correptioni.*

Can. 2308. Si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti, de quo agitur.

155. *Quid de monitione et de correptione tenendum.*

Can. 2309, § 1. Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta.

§ 2. Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet.

§ 3. Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum; et est iudicialis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem.

§ 4. Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo.

§ 5. De monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando.

§ 6. Tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia.

156. *Praecepto quandonam detur locus.*

Can. 2310. Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis.

157. *Vigilantia quandonam adhibenda.*

Can. 2311, § 1. Si casus gravitas ferat et praecipue

si agatur de eo, qui in periculo versetur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae.

§ 2. Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos.

CAPUT III.

De poenitentiis.

158. *Poenitentiae quomodo sint imponendae.*

Can. 2312, § 1. Poenitentiae in foro externo imponuntur, ut delinquens vel poenam effugiat, vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat.

§ 2. Ob delictum aut transgressionem occultam nunquam poenitentia publica imponatur.

§ 3. Poenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis.

159. *Praecipuae poenitentiae quaenam sint.*

Can. 2313, § 1. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta:

1.° Recitandi determinatas preces;

2.° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera;

3.° Servandi peculiare ieiunium;

4.° Erogandi eleemosynas in pios usus;

5.° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies.

§ 2. Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis.

Adn. a. Agitur hic de poenitentiis publicis, quae praescribuntur in foro externo. Iamvero ex poenitentiis publicis aliae sunt sollemnes, quae nempe ab Episcopo ritu speciali olim impo-

nebantur et absolvebantur, quaeque olim *canonicae* dicebantur; et huiusmodi a pluribus saeculis in desuetudinem abierunt. Aliae sunt non sollemnes, quarum usus nullatenus recessit a foro criminali ecclesiastico; et huiusmodi sunt in iure recensitae; quarum finis est mixtus, quia directe intendunt solidam individui emendationem et bonum publicum, ut voluntaria poenitentia societatem aedificet, qui peccato eam scandalizavit. *Sole,* p. 216 cum *Cavagnis.*

b. Licet poenitentiae huiusmodi non determinentur pro foro sacramentali, confessarius tamen et has prae oculis habere potest, si forte huiusmodi sint poenitenti convenientes et salutares.

160. *Confessarius quas poenitentias imponere debeat.*

R. 1. Ubi agatur de peccatis dumtaxat, confessarius prae oculis habeat canonem 887: « pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis *salutares et convenientes satisfactiones* confessarius iniungat, quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet adimplere ». Proinde iniungat, per se, poenitentiam gravem pro gravi peccato, materia necessaria confessionis, levem pro levi, aut gravi, materia libera. Et si ad salutem poenitentis conferant opera aliunde debita, ut, e. g., adsistentia missae praeceptae, auditio catecheticae institutionis necessario assequendae, oratio, quae fere semper omittatur, haec ad tempus satis longum imponantur.

2. Si vero agatur de absolutione a censuris, vel a poenis, potissimum si ab his et a peccatis simul tunc vel poenitentia determinata est, vel eligenda.

a) Quando poenitentia est in casu *individuata* seu specie determinata *ipso iure* vel *ipso rescripto* S. Poenitentiariae, haec omnino est imponenda, nec licet eam mutare sine venia.

b) Quando vero poenitentia non determinatur specifice, sed vel prudenti iudicio confessarii relinquitur, congrua et salutaris imponenda (ut aliquando legimus in iure), vel determinatur solum in genere (ut plerumque contingit in rescriptis S. Poenitentiariae, et legimus etiam can. 2363), oportet tunc, ut confessarius non solum omni cum prudentia rerum atque poenitentis adiuncta omnia perpendant, sed

noscat etiam quam significationem theologi tribuant illis poenitentiis, quae solum in genere determinantur a S. Poenitentiaria.

« Poenitentiae igitur, quae a S. Poenitentiaria ordinarie iniungi praecipiuntur, sunt : *Poenitentia salutaris; Poenitentia gravis et longa; Poenitentia gravis et diuturna; Poenitentia gravissima et perpetua; Poenitentiae opera perpetua*, inter quae sint *aliqua quotidiana*. Hae vero poenitentiae sic communiter explicantur.

Poenitentia salutaris illa censetur, quae est proportionata *peccatori, peccato* et *fini*, ob quem imponitur. *Peccatori* erit proportionata, si ratio habeatur illius conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc.; nam ob circumstantias diversas, quae in ipsis poenitentibus reperiri possunt, eadem poenitentia non potest omnibus esse proportionata. *Peccato* erit proportionata, si iuxta qualitatem et gravitatem peccati fuerit imposita ; nam sicut peccata sunt diversa, diversa quoque illisque proportionata convenit esse remedia ; item sicut inter peccata datur maius et minus, ita proportionaliter ipsi respondere debet maior et minor poenitentia, quae imponitur. *Fini* etiam, idest saluti animae proportionata erit poenitentia, quando non solum fuerit pro culpis praeteritis satisfactoria, sed etiam medicinalis, et praecipue si peccatores removeat ab occasione peccandi, iniungendo eis opera vitiis contraria, ut, e. g., ieiunium gulosis, carnis macerationem luxuriosis, elatis humilitatem, eleemosynas avaris etc. (P. Syrus *Dilucid.* P. II, § II, *Introduct.*).

Poenitentia gravis et longa : gravis esse censetur, si suo pondere ita premat delinquentem, ut sentiat et agnoscat per ipsam sui delicti gravitatem ; talis esse poterit, si ad sex menses imponatur ieiunium semel in hebdomada servandum, rosarium ter in hebdomada recitandum, peregrinatio ad aliquam ecclesiam, recitatio psalmorum poenitentialium flexis genibus semel saltem in hebdomada, frequens confessio saltem menstrua, et similia, habito semper respectu ad vires et conditionem poenitentis ; unde quando-

que prudentia suadebit, locus unius gravis poenitentiae, plures leves imponere, et si quando mitius cum poenitente agendum erit, praestabit, iuxta S. Thom. (Quolib. 3) *indicare ei, quanta poenitentia iniungenda foret*, et nihilonimus iniungere quod tolerabiliter ferat, et interim eum monere, ut ex libera potius voluntate supplere studeat quidquid poenae forsitan ei luendum supersit (P. Syrus l. c. S. Alph. l. VI, n. 1143). *Longa* poenitentia erit, si perduraverit per annum, semel saltem in hebdomada, ut habet Thesaurus apud P. Syrum (l. c.).

Poenitentia diuturna censetur illa, quae ad triennium duratura imponitur.

Poenitentia gravissima et perpetua: gravissima illa censeri potest, quae suo pondere magis premit quam gravis, ut poenitens sui delicti agnoscat gravitatem. Exemplum determinatum gravissimae poenitentiae, ut observat P. Syrus (l. c.), assignari non potest, maxime cum antiquae poenitentiae ss. canonum amplius non sint in usu, specialiter in foro conscientiae: in casu tamen, hodie quidem rarissimo, quo Confessarius iniungere debeat poenitentiam gravissimam, poterit duplicare aut etiam triplicare gravem, ita ut quae semel in hebdomada imposita gravis iudicatur, bis aut ter facienda in eadem hebdomada iniuncta, pro gravissima habeatur: discretione tamen etiam in hoc utatur confessarius, et habito semper respectu ad conditionem et statum poenitentis, cum, quae uni erit poenitentia gravis, alteri potuerit esse gravissima. *Perpetua* poenitentia hic censetur illa, quae durare debet usque ad mortem poenitentis, non quidem quotidie, sed statutis diebus peragenda; nam *perpetua* non idem est ac *quotidiana*, cum illa intervalla dierum patiatur, quod huic repugnat: unde poenitentia iniuncta semel in hebdomada, vel in mense facienda usque ad vitae finem, erit perpetua, licet non quotidiana.

Poenitentia quotidiana, ut vox ipsa innuit, ea est, quae quotidie est peragenda. Haec suadetur praecipue in commutatione voti religionis aut castitatis. Tamen quando imponi praescribuntur opera pietatis quotidiana, conveniens

est, ut sint faciliora et utiliora ipsi poenitenti, uti brevis oratio vocalis, lectio aliqua spiritualis, examen conscientiae, facile opus misericordiae, et similia; cum iugum Christi sit suave et onus eius leve, et melius sit in misericordia excedere, quam in severitate (ex cap. *Alligant* 26, q. 7). Quanto autem tempore haec poenitentia perdurare debeat, standum est praescripto in formulis, si adsit; si vero non adsit, videtur hoc relinqui arbitrio confessarii seu exsecutoris, qui tamen ad rei, de qua agitur, naturam et poenitentis conditionem attendere debet.

Advertat tandem confessarius, quod, in qualibet poenitentia imponenda, diligenter curare debet, ut ex ipsius impedimento nullo modo occultum delictum detegatur. Nam consulere debet bonae famae poenitentis seu oratoris, quae tamdiu durat, quamdiu delictum remanet occultum; quod pariter servandum est in quacumque alia poenitentia, etiam pro peccatis in ordinaria confessione expositis, iniungenda. Denique ad dictorum confirmationem praestat hic referre, quae circa poenitentiam auctoritative tradidit S. Poenitentiaria (8 apr. 1890). « In praefinienda poenitentiae qualitate, gravitate, duratione etc., quae dispensantis aut delegati arbitrio *iuri conformi* remittuntur, neque severitatis neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum, quibus irrogari iniungitur » (*Monitore Eccl.*, vol. VI, p. II, p. 56). *Tarani*, l. c.

161. *Quid importet illud:* « iniunctis de iure iniungendis », *quod confessario servandum est aliquando de iure vel de rescripto S. Poenitentiariae.*

R. Locutio huiusmodi « *de iure iniungendis* » reducitur ad quatuor:

a) Ut satisfactio parti laesae fiat, si qua debeatur, uti esset, v. g., restitutio bonorum, reparatio iniuriae, damni etc.; et qui de praesenti nequit, cautionem idoneam praestet, aut iuret vel promittat se, quam primum poterit,

satisfacturum. *Iuramentum* et *cautio pignoratitia* ad externum forum pertinere dicenda sunt: *pro confessione* seria et sincera promissio de satisfaciendo, de stando mandatis Ecclesiae etc., sufficit, quia hoc magis videtur convenire cum natura huius secreti fori (*Bucceroni,* cum allegatis II, n. 1103, *D' Annibale,* I, n. 351, *Génicot,* II, n. 477, et alii).

An vero, quando facultas absolvendi data est cum clausula « satisfacta parte », haec accipienda sit uti conditio *sine qua non,* ita ut, hac non adimpleta, nulla sit absolutio, alii probabiliter affirmant, alii item probabiliter negant. Verum quidquid de hoc sit speculative: 1) *In praxi* certum est apud omnes, *illicitam* esse absolutionem a quocumque datam, *parte saltem per promissionem, hic et nunc, non satisfacta,* tum ob iniuriam parti factam, tum quia absolvens violat iuris ordinem, praescribentis realem satisfactionem praemitti, si fieri potest et debet. *Schmalzgrueber, Ballerini, Gury,* II, n. 954. Dicitur, *si fieri potest*, quia tres casus communiter excipiuntur a Doctoribus: *a.* Quando pars laesa iniuriam remittit; *b.* Quando pars laesa reiicit *iustam* satisfactionem, tunc enim per reum non stat, quominus offenso condigne satisfiat. *c.* Quando reus impotens est ad satisfaciendum, quia ad impossibile nemo tenetur. – 2) *Specialis disciplina* est confessario servanda de iure, si ei contingat absolvere a censuris, scilicet disciplina, de qua can. 2254, § 3 (n. 25), vi cuius *satisfactio* requiritur ad validitatem absolutionis.

b) Ut *scandalum,* quod quis delicto aliis publice dederit, meliori quo poterit modo, reparet, iuxta prudens confessarii iudicium. Scandali enim reparatio est necessaria de iure divino. S. Poenit., 10 dec. 1860.

c) Ut *obiectum delicti* seu *occasio peccandi* removeatur. Haec vero remotio, quae et de iure communi requiritur, iuxta communem quoque doctrinam est intelligenda, nempe si occasio est proxima et voluntaria, statim est de facto tollenda; si est necessaria seu involuntaria, satis erit ut auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima

remotam, debitis mediis adhibitis. *S. Alph.*, l. c., et alii communiter. Cf. *Tarani,* Manuale pro Min. poenit. apostolicis.

d) Ut, praeter ea et poenitentiam sacramentalem pro peccatis, congrua poenitentia seu satisfactio imponatur pro censura, idest delicto censurae, ut colligere est ex can. 2254, § 3. *Cappello,* p. 30, 35; S. Poenit. 9 apr. 1890.

QUARTA PARS

DE IRREGULARITATIBUS

162. *Irregularitas quid sit et quae habenda.*

Can. 983. Nullum impedimentum perpetuum, quod venit nomine *irregularitatis,* sive ex defectu sit sive ex delicto, contrahitur, nisi quod fuerit in canonibus, qui sequuntur, expressum.

Unde: 1. **Irregularitas** definiri potest: impedimentum perpetuum iure ecclesiastico constitutum, quo, propter reverentiam divinis ministeriis debitam, interdicitur directe et per se ordinum susceptio et per consequens ordinum exercitium. *D'Annibale,* I, n. 399.

2. **Est impedimentum,** quo ordinum omnium, immo etiam tonsurae, c. 950, *susceptio* fit *illicita,* non vero invalida, et clerico *illicitum* receptorum ordinum *exercitium* et *illicita acceptio* beneficii, cui exercitium alicuius ordinis adnexum sit.

3. **Est impedimentum perpetuum,** non ita ut nequeat tolli, sed ita ut indigeat dispensatione, eo quia de se non cessat, nec lapsu temporis nec mutatione rerum; et ex hoc capite, scilicet *perpetuitatis,* irregularitas differt a simplici *impedimento,* quo quis detinetur *ad tempus,* puta uxoratus vel ligatus ad ordinarium militare servitium praestandum, et quod potest cessare de se, tempore aut rerum adiunctis mutatis.

4. **Duo circa irregularitatis** sunt oculis omnium inde ab

initio clarissima : *a*) irregularitatem attendi solum in clerico, aut in homine laico in ordine ad statum clericalem; *b*) nullam habendam esse irregularitatem, quae non sit in sacris canonibus explicite constituta.

5. **Irregularitates** aliae sunt ex *defectu*, scilicet alicuius dotis seu boni physici vel moralis, requisiti ad digne ac reverenter ordinem suscipiendum vel exercendum; sit hic defectus voluntarius vel involuntarius; et aliae sunt *ex delicto,* scilicet proprio laici hominis, qui ex eo indignus fit ad ordinem suscipiendum, vel clerici, qui indignus fit ad ordinem exercendum. Profecto *delictum* proprium formaliter non nisi voluntarium esse potest; unde etiam *hucusque* irregularitates ex delicto *instar poenarum* habitae sunt, quae vitari poterant ex defectu *contumaciae,* idest sufficientis cognitionis ipsarum; *sed non ita* in posterum, exstante canone 988, quo decernitur, *ignorantiam irregularitatum* etiam ex delicto ab eis non excusare.

Adn. a. Ab irregularitatibus sive ex defectu sive ex delicto differunt *impedimenta ;* haec enim, per se, ut diximus, temporaria sunt. — Iamvero etiam de impedimentis regula generalis illa servanda est, quae de irregularitatibus explicite datur canone 983; et sic nullum censendum est *impedimentum* canonicum quod non sit in iure.

Ad normam vero can. 987 « Sunt simpliciter impediti:

1.° Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent;

2.° Viri uxorem habentes;

3.° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint;

4.° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem;

5.° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint;

6.° Neophiti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint;

7.° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.

b. Ad dubia : 1. « Utrum ad sensum canonis 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto non sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati; et quatenus negative;

2. Utrum praedicti non solum ad primam tonsuram et minores Ordines, sed etiam ad maiores licite promoveri possint, ser-

vato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, Decreto *Ut ius certum* » ;

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos respondere censuit:

« Ad 1.m *Affirmative* ».

« Ad 2.m *Provisum in primo* ». *Acta Ap. Sedis* 1 aug. 1918, p. 344.

163. *Quinam sint irregulares ex defectu.*

Can. 984. Sunt irregulares ex defectu :

1.° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi ;

2.° Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus, qui rite poni possunt ;

3.° Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt ; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere ;

4.° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt;

5.° Qui infamia iuris notantur ;

6.° Iudex, qui mortis sententiam tulit ;

7.° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae.

Pauca de singulis, ex ordine.

1.° « **Legitimi sunt** filii concepti *aut* nati ex matrimonio valido *vel* putativo, *nisi* parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti » : c. 1114.

« **Legitimi praesumuntur** filii, qui *nati* sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis » : c. 1115, § 2.

« **Per subsequens parentum matrimonium,** sive verum, sive putativum, sive noviter contractum, sive convalidatum, etiam

non consummatum, legitima efficitur proles, *dummodo* parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum *tempore* conceptionis, *vel* praegnationis, *vel* nativitatis : c. 1116.

« **Filii legitimati** per subsequens matrimonium, ad *effectus canonicos* quod attinet, in omnibus *aequiparantur legitimis, nisi* aliud expresse cautum fuerit » : c. 1117.

Unde plura : *a*) *Conceptus illegitime* (nempe ex fornicatione, stupro, adulterio) *legitimus* nascitur, si parentes inter se canonice contraxerint statim post eius conceptionem ; et *legitimus praesumitur* de iure, si contraxerint saltem ante sex menses a die nativitatis ;

b) *Conceptus, licite* ex matrimonio *putativo, legitimus nascitur* vel legitimus saltem *praesumitur,* si nativitas eius contingat post sextum mensem a die cognitae nullitatis matrimonii, etsi in die nativitatis eius matrimonium parentum nondum fuerit convalidatum ;

c) *Conceptus* ex legitimo matrimonio *illicite* ob usum matrimonii prohibitum ratione ordinis sacri suscepti vel emissae professionis religiosae sollemnis, *nascitur illegitimus* etiam ex praesumptione, si nativitas eius sit infra decem menses a suscepto ordine sacro vel ab emissa professione ;

d) *Illegitimitas* natalium per subsequens parentum matrimonium, sive verum, sive putativum, sive noviter contractum, sive convalidatum, etiam non consummatum *tollitur plerumque*, sed non semper. — *Tollitur,* si parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum *tempore* conceptionis, *vel* praegnationis, *vel* nativitatis, quatenus tunc temporis nullum obstabat vitium naturale nullumque impedimentum canonicum dirimens matrimonium ; *non tollitur,* si aliquod vitium naturale vel impedimentum dirimens dabatur *tum* tempore conceptionis, *tum* tempore praegnationis, *tum* tempore nativitatis, quamvis *tempore,* quo matrimonium contrahitur, nullum sit vitium aut impedimentum.

e) **Attamen** datur *illegitimitas,* quae nec per matrimonium, quod sequatur cum dispensatione ab exstantibus impedimentis, tollitur ; et haec est illegitimitas prolis *adulterinae aut sacrilegae :* c. 1051.

f) *Expresse cautum est* in iure, ut, qui nati sunt *illegitimi, etsi legitimati* per subsequens matrimonium, arceantur a dignitate *Cardinalatus :* c. 232, § 2, n. 1 : *episcopatus :* c. 331, § 1, n. 1 : *abbatis* vel *praelati nullius :* c. 320, § 2 ; cf. c. 991, § 3 ; et, *nisi fuerint legitimati* (ecce irregularitas), *a munere* Superioris maioris in religionibus : c. 504, 1117 ; *ab ordinum receptione* : c. 984, n. 1 ; *ab admissione in Seminarium :* c. 1363, § 1.

g) Illegitimitas vera irregularitatem parit quamvis occulta sit; sed, ut per se patet, non nisi cognita indiget dispensatione. Quam ob rem qui, irregularis occultus, ad ordines accesserit sine dispensatione, statim ac cognoverit irregularitatem, indiget dispensatione ut licite valeat ordines exercere.

h) Legitimitas praesumpta, quamdiu iure praesumi potest, nulla indiget dispensatione.

i) *Per professionem religiosam sollemnem* sanatur non solum legitimitas praesumpta, sed tollitur etiam illegitimitas vera, profecto in ordinem ad irregularitatem, quae exinde cessat.

l) *Legitimatio,* quae habeatur ad normam iuris civilis, per se, non valet; valet per accidens, si nempe eadem habeatur etiam in iure canonico.

2.° **Ex vitio vel defectu** corporis irregulares sunt *caeci* utroque oculo vel solum *sinistro ; surdi, muti, carentes* membro ad obeunda divina ministeria vix non necessario; *laborantes* habitualiter tali morbo, qui eadem obire saltem sine periculo gravis erroris aut positivae irreverentiae impediat. — Item *gibbosi, claudi,* habentes maculam deformem in visu, graviter *balbutientes,* sui fere semper non compotes etc. — Idem vitium vel defectus corporis, quod ad irregularitatem pertinet, pluris fit antequam ordo suscipiatur, quam si supervenerit post ordinem susceptum.

3.° **Dum malum** epilepsiae, amentiae, possessionis immundi spiritus *perdurat,* datur irregularitas, a qua Ordinarius nequit dispensare quod ad ordines suscipiendos. Si vero malum huiusmodi *certo* cessaverit in eo, qui in ordinibus iam constitutus est, poterit etiam Ordinarius ad exercitium ordinum iterum licentiam concedere. *Iudicare* autem de cessatione mali, proprium erit Ordinariorum.

4.° **Irregularitas** ex bigamia quandonam habeatur, iure clarissimo decernitur, pluribus canonistarum quaestionibus radicitus sublatis. Si quis viduus ex valido matrimonio matrimonium aliud validum (invalidum aut putativum non sufficeret) contraxerit, licet neutrum matrimonium consummaverit, fit irregularis, ob repugnantiam significationi unionis Christi cum Ecclesia. In hoc consistit hodie **bigamia**.

5.° **Quinam sint** infames ex infamia iuris vel ipso facto vel ex sententia, quae fuerit data, vid. n. 144. — *Ex infamia facti* vera irregularitas non datur; sed tamen etiam huiusmodi infames repelli debent. Cf. pag. 267, adn. *a*.

6.° **Iudex** ex data capitali sententia irregularis fit, etsi iusta

fuerit sententia nec ad exsecutionem deducta. Et solus iudex dicitur irregularis, nemo ex aliis, qui ad iudicium vel ad sententiam concurrerint. Profecto si iudices plures sint, qui simul sententiam tulerint, omnes simul fiunt irregulares.

7.° **Carnifex** (vulgo *boia*) fit irregularis ex sola libera acceptatione huius muneris. Qui cum eo cooperati sunt ad rei damnati occisionem, irregulares fiunt, si egerint *sponte,* et immediate, idest in actu occisionis; non vero si coacti egerint, vel remote concurrerint.

Unde non est irregularis miles, qui, ut contingit in bello, vocaretur ad mortem inferendam alicui capitali sententia damnato, quia *munus carnificis* non suscipit, nec cum *carnifice* concurrit, nec *sponte* agit.

164. *Quinam sint irregulares ex delicto.*

Can. 985. Sunt irregulares ex delicto:

1.° Apostatae a fide, haeretici, schismatici;

2.° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt;

3.° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta;

4.° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes;

5.° Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt;

6.° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur;

7.° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti.

Pauca de singulis, ex ordine;

1.° *Apostatae, haeretici, schismatici* (de quibus vid. n. 68) irregularitatem contrahunt ex solo delicto *externe,* etsi *occulte,*

consummato, etiamsi ex ignorantia excommunicationem effugerint. — Procul dubio eorum irregularitas erit *publica* vel *occulta*, prout publicum vel occultum fuerit delictum. - Vid. n. 2.

Non est irregularis qui, addictus alicui sectae haereticae aut schismaticae solum materialiter, puta ex nativitate, statim ac veritatem cognoverit, ad Ecclesiam venerit, quia deest in eo delictum haeresis aut schismatis. – *Sed filii acatholicorum sunt impediti;* cf. n. 162, adn. *a*. - *Nec irregularis* est qui deliquerit circa stipendia Missarum; quia Decreta *Vigilanti* et *Ut debita* cessant, ad poenam quod attinet.

2.° *Ob susceptum baptismum* quis fiet irregularis, si delictum consummaverit ex eo quod: *a*) noverat ministrum esse acatholicum; *b*) poterat prohibere, quominus ipse baptizaretur ab acatholico; *c*) casus extremae necessitatis suscipiendi baptismum non urgebat; *d*) noverat baptizandus, in casu, susceptionem baptismi, licet valide et secundum ritum romanum collati, esse sibi ab Ecclesia prohibitam et illicitam. Si ex his quatuor concurrentibus delictum consummatum fuerit, etiam irregularitas erit contracta, licet ignorata a taliter baptizato.

Non est irregularis qui scienter rebaptizat, nec qui scienter illi ministrat, quamvis baptismus conferatur sollemniter.

3.° *Ob matrimonium* irregularitas, licet ignorata, contrahitur ab eo, qui delinquit sciens et volens, idest agit cum plena cognitione et plena deliberatione, nec causam habet ullam ex imputabilitatem minuentibus, de quibus n. 31, 3.°

4.° *Ob homicidium* contrahitur irregularitas, si haec concurrant: *a*) homicidium fuerit *iniustum;* non autem si iuste factum aliqua de causa, puta defensione ab iniusto aggressore sive vitae, sive integritatis membrorum: *S. Alph.* III, 380, *Salm.* 25, 1 94, sive libertatis: *D'Annib.* II, 283, sive pudicitiae: *S. Alph.* III, 386: sive bonorum fortunae magni momenti et actu possessorum, *D'Annib.* II, 7: tam in causa propria quam in causa proximi: *Salm.* 25, 1, 97; *S. Alph.*, III, 391, modo non inviti: *D'Annib.* II, 283; - *b*) homicidium sit graviter *imputabile* agenti: c. 986; et idcirco causae, quae a gravitate culpae excusant, excusant etiam ab irregularitate; - *c*) homicidium fuerit praeterea *voluntarium*, scilicet voluntarium *directe*, hoc est ex actu voluntatis *directae* ad homicidium, sive tanquam in finem sive tanquam in medium ad finem, parum refert; lex enim strictam accipit interpretationem; unde ex hoc capite non datur irregularitas ex homicidio *voluntario indirecte*, quod nempe imputabile est in causa; - *d*) homicidium vere *secutum sit*, quamvis non ea temporis hora, qua in-

tentatum est, sed posteriori tempore. — Putamus constitutum in sacris, qui olim (ex C. C. 12, 17, 24 *De homic.*) habebatur irregularis etiam in dubio, *utrum ipse fuerit causa efficax homicidii vere secuti*, hodie non esse in casu habendum ut irregularem.

Homicidio secuto, irregulares fiunt *homicida, mandans* et *omnes cooperatores ;* et idcirco etiam cooperatores negativi: *mutus, non obstans, non manifestans.*

Ob procuratum abortum irregularitas dabitur, quando delictum fuerit patratum, ut dictum est, n. 50. — Hic explicite notamus canonem loqui de *fetu humano,* non de fetu animato; et idcirco quaestionem de tempore *animationis* fetus praetermitti omnino, melius relinqui disputationibus ; sed *delictum haberi inde a facta conceptione* fetus, quia omnis fetus, licet conceptus dumtaxat, *humanus est.* — **Craniotomia** et quaelibet alia operatio chirurgica humani fetus nondum editi occisiva, non est censenda irregularitatem effugere, ex capite homicidii, vel saltem ex capite abortus, si homicidium stricte accipi velit quasi de occisione solius hominis iam nati. — Nullo autem modo admittere possumus doctrinam seu sententiam, quae sequeretur ex verbis huiusmodi : « homicidio accensenda quoque est craniotomia et embryotomia, *extra casus, in quibus theoretice aut saltem practice aestimari possit licita* » ; quia, quamvis craniotomia possit aliquando perfici ab agente sine peccato ob erroneam eius conscientiam, nunquam tamen et in nullo casu eadem potest a nobis doceri vel iudicari *licita* per se. Cf. *De occisione innocentis,* typogr. Seminarii Patavini. — Etiam quod attinet ad abortum, omnes cooperatores et idcirco etiam *cooperatores negativi* comprehenduntur sub lege irregularitatis.

5.° *Ob tentatum suicidium* irregularitas dabitur si quis causam propriae mortis sufficientem posuerit cum gravi imputabilitate ; non dabitur, si desierit gravis imputabilitas aliqua de causa, ut, puta, delirium, vel mentis perturbatio gravis; nec dabitur si causa posita non sufficeret ad mortem inferendam ex insufficientia sui.

Ob mutilationem vero sui vel aliorum, delictum, in ordine ad irregularitatem, consummatum erit, si haec cumulative concurrerint: *a*) agatur de membro corporis proprium et distinctum officium habente; cuiusmodi sunt pes, brachium, manus vel una aut eius digiti, nares, oculus, lingua, auris, membrum virile, testiculus uterque ; *b*) membrum huiusmodi separetur a corpore per mutilationem ; non satis esset si laederetur et inutile efficeretur in corpore ; *c*) culpa gravis adsit in mutilante : c. 986; idcirco po-

test irregularitas vitari, si nempe licite actum fiat ab agente ex erronea conscientia; e. g., si quis seipsum testiculis destituerit ex intuitu vitandi luxuriam; potest tamen remanere irregularitas ex defectu.

6.° *Ob vetitam artem medicam vel chirurgicam* irregularitas dabitur ex hisce tribus concurrentibus: *a*) si mors sequatur ex facta praescriptione vel operatione tamquam ex vera causa; *b*) clericus praescriptionem medicam aut operationem chirurgicam, causam mortis, fecerit tamquam propriam artem exercens; *c*) clericus huiusmodi artem, sive publice sive occulte, exerceat sine indulto apostolico; etenim legimus canone 138, § 2: «Clerici sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant». — Nec requiritur ut mors secutura praevisa fuerit, saltem in confuso. — Sed non datur irregularitas: *a*) si quis exerceat artem medicam aut chirurgicam ex indulto apostolico; quod facilius concedi potest missionariis; *b*) nec si mors sequatur ex praestatione medica aut operatione chirurgica, quae, sive in casu necessitatis, sive extra casum huiusmodi, licite ergo vel illicite, fiat per accidens, per modum actus, non vero per modum exercitii, quod usu fiat; *c*) nec si mors non ex ipsa operatione aut praescriptione medica tamquam ex causa sequatur; sed sequatur alia ex causa. — **Ius,** ut patet, est de *clerico;* qui erat medicus et chirurgus potest sane ordinari sine dispensatione.

7.° *Ob positum actum ordinis* irregularitas multipliciter contrahi potest:

a) *Irregularis* fit quicumque, sive clericus sive laicus, actum *ordinis* unius ex maioribus, quo *careat*, ponit, graviter delinquens. Et sic irregularis fit *laicus et clericus,* qui *omni munere* subdiaconatus in missa sollemni fungerentur cum paramentis subdiaconi; subdiaconus, qui fungeretur munere diaconi; *diaconus et laicus* qui sacramentaliter absolverent; usurparent enim non solum actum iurisdictionis sed et ordinis. Nec amplius requiritur ad irregularitatem, ut actus ordinis ponatur sollemniter et cum scientia irregularitatis: c. 988. — *Non essent irregulares* laicus et clericus, qui exercerent actum solius iurisdictionis, e. g., dispensarent a lege abstinentiae; sacerdos nondum facultate confessiones excipiendi praeditus, si absolveret sacramentaliter extra casum necessitatis, quia sacerdos *ordine* non caret.

b) *Irregularis* fit *clericus*, qui poneret quemlibet ordinis sacri actum, qui sit prohibitus ratione censurae vel poenae vindicativae, sive *illi* personaliter, sive *in loco ubi* peragitur. — Requiritur tamen ut culpa gravis sit imputanda agenti, quatenus et prohibitionem noverat et libere egit.

164 bis. *Quid de clericis redeuntibus a militia et bello?*

R. 1. Ex decreto « *Redeuntibus* » S. C. Cons. d. 25 sept. 1918 ita :

a) « Omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultas conceditur dispensandi ab irregularitatibus *ex defectu* corporis cum suis sacerdotibus e militari servitio redeuntibus, quoties ex testimonio scripti magistri caeremoniarum, qui sacerdotem examini subiecerit, plane constiterit ipsum posse sine alieno auxilio servare cum decore omnes ritus necessarios in Missae celebratione praescriptos, onerata super hoc ipsorum Ordinariorum conscientia. In casibus vero gravioribus vel dubiis et quoties agatur de non promotis ad sacerdotium, recurrendum est ad S. Sedem ».

b) « Pariter omnibus Ordinariis facultas conceditur dispensandi, saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis*, quoties sacerdotes, clerici et seminariorum seu religiosorum alumni in eam inciderint non ex facto proprio, sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam. Quoties vero agatur de clericis *in sacris*, qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum, firmo tamen praescripto can. 188, n. 6.° Ipsi autem sacerdotes, qui a militia revertuntur et sciunt se irretitos irregularitate S. Sedi reservata, ne audeant sacris ministrare ante obtentam dispensationem ». Ex act. Ap. S. a. 1918 p. 481.

2. **Dubio :** « An clerici in sacris, militum vulneratorum vel infirmorum adsistentiae addicti, qui ex huiusmodi ministerio *sponte sua,* maluerunt transire ad militiam pugnantem nec tamen mutilationem vel mortem intulerint, teneantur, iuxta mentem decreti « *Redeuntibus* » dispensationem a S. Sede impetrare, ut ad sacri ministerii exercitium restituantur » : *S. Congr. Consistorialis* d. 28 mart. 1919 respondit : *affirmative.* Ex act. Ap. Sed. a. 1919, p. 177.

Igitur in casu irregularitas excluditur ex his duobus cumulative sumptis : *a*) ex coactione qua quis ad militiam et bellum contendit ; *b*) ex absentia cuiuslibet occisionis vel mutilationis in proeliis seu pugnis. Et irregularitas oritur ex his duobus : *a*) ex voluntario accessu ad arma et bellum ; *b*) ex facto alicuius occisionis aut mutilationis ex parte alicuius pugnantis. In lege enim irregularitatis *cooperatores* comprehenduntur.

165. *Irregularitates ex delicto quandonam contrahantur.*

Can. 986. Haec delicta irregularitatem non pariunt nisi fuerint gravia peccata, post baptismum perpetrata, salvo praescripto can. 985, n. 2, itemque externa, sive publica sive occulta.

Unde : a. Obnoxius est irregularitati ex delicto quisque baptizatus, qui delictum, causam irregularitatis, consummaverit non solo desiderio, sed actione externa, etsi occulta, et, in consummando delicto iuxta verborum significationem, graviter peccaverit. — Sed irregularitas, quae canone 985, 2° decernitur, contrahitur etiam ab eo, qui prius non fuerit baptizatus.

b. Omnia, quae agentem a gravitate culpae excusant, illum excusant etiam a contrahenda irregularitate.

166. *Num ignorantia irregularitatum excuset ab eis.*

Can. 988. Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat.

Unde : a. Irregularitates sive ex delicto sive ex defectu contrahuntur etiamsi ignorentur.

b. Irregularitates ex delicto ante novi Codicis promulgationem habebant *naturam poenae,* easque ignorantes non incurrebant; nunc *naturam poenae* non habent, et ignorantes incurrunt. Ad eas incurrendas deinceps satis erit, ut delinquens graviter peccaverit consummando delictum.

167. *An irregularitates multiplicentur.*

Can. 989. Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetitione

eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario.

Unde: a. *Triplici* irregularitate detinetur qui, e. g., est illegitimus, vitiatus corpore, bigamus; *duplici* qui actum ordinis usurpavit et seipsum mutilavit. Sed qui, e. g., actum ordinis sibi prohibitum decies usurpaverit, unam tantum contrahit irregularitatem.

b. Causa multiplicata irregularitatem multiplicat solum ubi agatur de *homicidio voluntario;* et erit irregularitas *ex delicto,* si homicidium voluntarium fuerit iniustum; erit irregularitas ex defectu, si homicidium voluntarium fuerit iustum. Cf. n. 163, 7.°

168. *Ordinarius in quibus dispensare possit.*

Can. 990, § 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulte provenientibus, ea excepta, de qua in can. 985, n. 4 aliave deducta ad forum iudiciale.

Unde: 1. Si agatur de irregularitatibus *ex defectu*, dispensatio a S. Congregatione *De disciplina Sacramentorum* petenda est.

2. Si agatur de irregularitatibus *ex delicto*: *a*) *ubi casus sit occultus,* quamvis nulla urgeat necessitas, Ordinarius (Episcopus, Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis etc.) potest, ex facultate sibi propria de hoc canone, per se vel etiam per delegatum suos subditos (non vero alienos) ubique locorum dispensare *ab omnibus irregularitatibus* ad forum iudiciale nondum deductis, una excepta; *b*) *haec una excepta*, pro qua recurrendum est ad Sanctam Sedem, continetur can. 985, n. 4, et oritur ob voluntarium homicidium, effectu secuto, itemque ex procurato abortu fetus humani: cf. n. 50; *c*) *quando casus* est iam ad forum iudiciale adductus, Ordinarius a nulla irregularitate ex delicto, licet occulta, dispensare potest.

3. Sive agatur de irregularitatibus *ex delicto,* sive agatur de irregularitatibus *ex defectu,* publicis aut occultis, quando petitur *dispensatio in foro externo* (quae sane valet etiam in foro interno) recursus fiat ad S. Congregationem *De disciplina Sacramentorum*: c. 249, § 2; quando vero petitur *in foro* interno, recurratur ad *S. Poenitentiariam:* c. 258, § 1. Cf. n. 164 bis.

169. *Confessario simplici quaenam competat facultas.*

Can. 990, § 2. Eadem (*Ordinariorum*) facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus,

in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat.

Unde: 1. Ubi confessario praestiterit *poenitens in sacris constitutus* et detentus irregularitate *ex delicto,* quae *sit occulta, non tamen* ex voluntario homicidio aut abortu procurato, *nondum* ad forum iudiciale deducta, poterit confessarius illum in solo foro conscientiae dispensare *ut valeat ordinem susceptum* (subdiaconatus, aut diaconatus, aut presbyteratus) licite exercere, quando talia rerum adiuncta concurrerint: 1) ordo sit exercendus; 2) periculum immineat gravis damni, sive proprii sive alterius, aut infamiae, si ordo non exerceatur; 3) Ordinarius interea nequeat adiri pro petenda facultate dispensandi.

Haec autem dispensatio censenda videtur valitura in foro conscientiae absolute, in posterum, quoties ordo exerceri voluerit, quia ius non dicit eam valituram solum pro casibus illis urgentioribus, quibus contingentibus conceditur. — Si quis autem irregularitatem delinquenti obiecerit, dispensatio confessarii in foro externo sane non valet.

2. Si confessario accesserit *poenitens laicus,* qui voluerit clericus fieri ex prima tonsura, vel *clericus* qui voluerit accedere ad ordinem aliquem superiorem, sive ex maioribus sive ex minoribus, confessarius in nullo casu potest eos ab irregularitate ulla dispensare.

Item nec constitutum in sacris, et quidem ut susceptum ordinem exercere queat, dispensare confessarius potest *quando* irregularitas ex delicto est publica, *vel quando* deducta est ad forum iudiciale, *vel quando* ordinis exercitium omitti potest sine periculo gravis damni aut infamiae, *vel quando*, etsi huiusmodi periculum immineat, tempus tamen suppetit pro facultate dispensandi petenda et accipienda.

3. **Nulla forma** praescribitur, qua confessarius valeat dispensare ab irregularitatibus; quam ob rem ad *validitatem* dispensationis satis est ut confessarius actum suae voluntatis aliquo modo, verbis aut signis, manifestet. Sed tamen, ad melius agendum, poterit hanc formam aliamve similem adhibere: *Te dispenso ab irregularitate, quam incurristi propter... et habilem reddo ac restituo exsecutioni ordinum: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

170. *Preces pro irregularitatum dispensatione quomodo sint conficiendae.*

Can. 991, § 1. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide, iis exceptis, quae in can. 990, § 1 excipiuntur, non autem pro reticitis in mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis.

Unde : 1. Pro *reticitis* ex bona fide aut pro *omissis* inculpabiliter irregularitatibus, quae, ad normam can. 985, n. 4, habentur ex voluntario homicidio aut ex procuratione abortus - effectu secuto -, *bona fides* aut *defectus culpae* in conficiendis precibus non valent ad errorem sanandum; et huiusmodi irregularitates, reticitae vel omissae, remanent etiam post datam dispensationem generalem.

2. *Preces* pro dispensatione in foro externo mittantur, ut supra dictum est, ad S. Congregationem *De disciplina Sacramentorum ;* preces vero pro dispensatione in foro interno ad *S. Poenitentiariam.*

171. *Dispensatio generalis ad ordines, pro quibus ordinibus valeat.*

Can. 991, § 3. Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus ; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius,* Superior maior in religione clericali exempta.

172. *Quae memoria sit servanda de concessa dispensatione in foro interno non sacramentali.*

Can. 991, § 4. Dispensatio, in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignetur; et de ea in secreto Curiae libro constare debet.

Adn. Exinde prodesse poterit etiam in foro externo, si irregularitas de occulta facta fuerit publica et ad forum externum deducta.

APPENDIX

DE RECAPITULATIONIBUS

173. - *Recapitulatio excommunicationum ex testu Codicis.*

a. Ob delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae excommunicationes *quinque ;* et latae sunt :

1.ª in apostatas a fide, haereticos, et schismaticos ; *reservata speciali modo :* c. 2314 ; n. 68 ;

2.ª in suspectum de haeresi non emendatum intra sex menses ab inflicta poena : *reservata speciali modo :* c. 2315 ; n. 69 ;

3.ª in editores librorum apostatarum, haereticorum. schismaticorum et in defendentes, legentes, retinentes eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos ; *reservata speciali modo :* c. 2318, § 1 ; n. 70 ;

4.ª in auctores et editores, qui sacrarum Scripturarum libros vel adnotationes vel commentarios sine debita licentia imprimi curant ; *reservata nemini :* c. 2318, § 2 ; n. 41 ;

5.ª in celebrantes matrimonium coram ministro acatholico et in delinquentes circa baptismum et educationem prolis ; *reservata Ordinario :* c. 2319 ; n. 47.

b. Ob delicta contra religionem *quatuor :*

1.ª in eos, qui species consecratas abiecerit ; *reservata specialissimo modo :* c. 2320 ; n. 81 ;

2.ª in non sacerdotem, qui Missam simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit ; *reservata speciali modo :* c. 2332 ; n. 71 ;

3.ª in delinquentes ex falsis reliquiis ; *reservata Ordinario :* c. 2326 ; n. 48 ;

4.ª in facientes quaestum ex indulgentiis ; *reservata simplici modo :* c. 2327 ; n. 54.

c. Ob delicta contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas *duodeviginti :*

1.ª in appellantes a Romano Pontifice ad Universale Concilium ; *reservata speciali modo :* c. 2332 ; n. 72 ;

2.ª in impedientes litteras vel acta Apostolicae Sedis vel eiusdem Legatorum ; *reservata speciali modo :* c. 2333 ; n. 73 ;

3.ª in edentes leges, mandata vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae ; *reservata speciali modo :* c. 2334 ; n, 74;

4.ª in dantes nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus ; *reservata simplici modo :* c. 2335 ; n. 55 ;

5.ª in praesumentes absolvere sine facultate ab excommunicatione reservata *speciali* vel *specialissimo modo* Apostolicae Sedi ; *reservata simplici modo :* c. 2338, § 1 ; n. 56 ;

6.ª contra impendentes auxilium vel favorem excommunicato vitando et in clericos recipientes illum in divinis ; *reservata simplici modo :* c. 2338, § 2 ; n. 57 ;

7.ª in mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae indignos ; *reservata nemini :* c. 2339 ; n. 42 ;

8.ª in trahentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ad iudicem laicum ; *reservata speciali modo :* c. 2341 ; n. 75 ;

9.ª in praesumentes trahere ad iudicem laicum, Episcopum aut Abbatem vel Praelatum *nullius* aut Superiorem maiorem religiosum iuris pontificii, qui non sit proprius Ordinarius; *reservata simplici modo:* c. 2341, n. 58;

10.ª in violantes clausuram regularium monialium; *reservata simplici modo:* c. 2342, 1°; n. 59;

11.ª in mulieres violantes clausuram regularium virorum; *reservata simplici modo:* c. 2342, 2°; n. 60;

12.ª in moniales illegitime exeuntes e monasterio; *reservata simplici modo:* c. 2342, 3°; n. 61;

13.ª contra iniicientes violentas manus in personam Romani Pontificis; *reservata specialissimo modo:* c. 2343, § 1; n. 82;

14.ª contra iniicientes violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum; *reservata speciali modo:* c. 2343, § 2; n. 26;

15.ª contra iniicientes violentas manus in personam clericorum infra Episcopos aut religiosorum utriusque sexus; *reservata Ordinario proprio:* c. 2343, § 4; n. 49;

16.ª in usurpantes aut detinentes bona vel iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; *reservata speciali modo:* c. 2345; n. 77;

17.ª in praesumentes usurpare bona ecclesiastica cuiuslibet generis; *reservata simplici modo:* c. 2346; n. 62;

18.ª in alienantes bona ecclesiastica sine debita licentia; *reservata nemini:* c. 2347, 3°; n. 43.

d. Ob delicta contra vitam et libertatem *tres:*

1.ª in procurantes abortum, effectu secuto; *reservata Ordinario:* c. 2350; n. 50;

2.ª in delinquentes ob duellum; *reservata simplici modo:* c. 2351, § 1; n. 63;

3.ª in cogentes ad statum clericalem suscipiendum, vel ad religionem ingrediendam, vel ad professionem emittendam; *reservata nemini:* c. 2352, n. 44.

e. Ob crimen falsi *duae :*

1.ª in fabricatores vel falsarios litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae ; *reservata speciali modo :* c. 2360 ; n. 78 ;

2.ª in falso denuntiantes confessarium de crimine sollicitationis apud Superiores ; *reservata speciali modo :* c. 2363; n. 79.

f. Ob delicta in administratione vel susceptione Sacramentorum *tres :*

1.ª in absolventem vel fingentem absolvere complicem in peccato turpi ; *reservata specialissimo modo :* c. 2367, § 1 ; n. 83 ;

2.ª in eum, qui debitam denuntiationem sollicitationis omiserit ; *reservata nemini :* c. 2368, § 2 ; n. 45 ;

3.ª in confessarium violantem sigillum sacramentale directe ; *reservata specialissimo modo :* c. 2339, § 1 ; n. 84.

g. Ob delicta contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi *tres :*

1.ª in religiosum apostatam a religione ; *reservata Ordinario :* c. 2385 ; n. 51 ;

2.ª in attentantes matrimonium, cui obstat votum sollemne castitatis ; *reservata simplici modo :* c. 2388, n. 64 ;

3.ª in praesumentes contrahere matrimonium etiam civiliter tantum, cui obstat votum simplex perpetuum castitatis ; *reservata Ordinario :* c. 2288; n. 52.

h. Ob delictum in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum *una :* in perpetrantes simoniam in iisdem ; *reservata simplici modo :* c. 2392 ; n. 65.

i. Ob abusum potestatis vel officii ecclesiastici *una:* in Vicarium Capitularem aliosque documenta Curiae subtrahentes, destruentes, celantes ; *reservata simplici modo :* c. 2405 ; n. 66.

l. Ob delicta in electione Romani Pontificis *decem;* quae sunt *uni Romano Pontifici reservatae:* Const. *Vacante Sede Ap.;* n. 85, 87.

Adn. His addere si velis eam, quae est de secreto servando circa promovendos Episcopos, de qua n. 87 bis, excommunicationes ipso iure vigentes habes 51.

174. - *Recapitulatio excommunicationem ex indice Codicis.*

a. Nemini reservatae:

1.ª in auctores et editores, qui SS. Scripturarum libros, vel adnotationes, vel commentarios sine debita licentia imprimi curant: c. 2318, § 2; n. 41;

2.ª in mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae indignos: c. 2339; n. 42;

3.ª in alienantes bona ecclesiastica sine debita licentia: c. 2347, 3°; n. 45;

4.ª in cogentes ad statum ecclesiasticum suscipiendum, vel ad religionem ingrediendam, vel ad professionem emittendam: c. 2352; n. 44;

5.ª in poenitentem, qui debitam denuntiationem sollicitationis omiserit: c. 2368, § 2; n. 45.

b. Reservatae Ordinario:

1.ª in celebrantes matrimonium coram ministro acatholico, et in parentes vel parentum locum tenentes delinquentes circa baptismum et educationem prolis: c. 2319; n. 47;

2.ª in delinquentes ex falsis reliquiis: c. 2326; n. 48;

3.ª contra iniicientes violentas manus in personam clericorum infra Episcopos aut religiosorum utriusque sexus: c. 2343, § 4; c. 49;

4.ª in procurantes abortum: c. 2350; n. 50;

5.ª in religiosum apostatam a religione: c. 2385; 51;

6.ª in praesumentes contrahere matrimonium etiam civiliter tantum, cui obstat votum simplex perpetuum castitatis: c. 2388; n. 52;

c. Reservatae Ap. Sedi *simplici modo:*

1.ª in facientes quaestum ex indulgentiis: c. 2327; n. 54;

2.ª in dantes nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus: c. 2335; n. 55.

3.ª in praesumentes absolvere facultate ab excommunicatione reservata speciali vel specialissimo modo Ap. Sedi: c. 2338, § 1; n. 56;

4.ª contra impendentes auxilium, vel favorem excommunicato vitando, et in clericos recipientes illum in divinis: c. 2338, § 2; n. 57;

5.ª in praesumtes trahere ad iudicem laicum Episcopum, Abbatem, vel Praelatum nullius, Superiorem maiorem religiosorum iuris pontificii, qui non sit proprius Ordinarius; c. 2341; n. 58;

6.ª in violantes clausuram monialium regularium: c. 2342, 1°; n. 59;

7.ª in mulieres violantes clausuram regularium virorum: c. 2342, 2°; n. 60;

8.ª in moniales illegitime exeuntes e monasterio: c. 2342, 3°; n. 61;

9.ª in praesumentes usurpare bona ecclesiastica cuiuslibet generis: c. 2346; n. 62;

10.ª in delinquentes ob duellum: c. 2351, § 1, n. 63;

11.ª in attentantes matrimonium, cui obstat votum sollemne castitatis: c. 2388; n. 64;

12.ª in perpetrantes simoniam in dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis: c. 2392; n. 68;

13.ª in Vicarium Capitularem aliosque documenta Curiae subtrahentes, destruentes, celantes: c. 2405; n. 66;

d. Reservatae Ap. Sedi *speciali modo :*

1.ª in apostatas a fide, haereticos et schismaticos : c. 2314 ; n. 68 ;

2.ª in suspectum de haeresi non emendantum intra sex menses ab inflicta poena : c. 2315 ; n. 69 ;

3.ª in editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum, et in defendentes, legentes, retinentes eosdem libros, aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos : c. 2318, § 1 ; n. 70 ;

4.ª in non sacerdotem, qui Missam simulaverit aut sacramentalem confessionem receperit : c. 2332 ; n. 71 ;

5.ª in appellantes a Romano Pontifice ad Universale Concilium : c. 2332 ; n. 72 ;

6.ª in impedientes litteras vel acta Ap. Sedis vel eiusdem Legatorum : c. 2333 ; n. 73 ;

7.ª in edentes leges, mandata, vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae : c. 2334 ; n. 74 ;

8.ª in trahentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Ap. vel officialibus maioribus Romanae Curiae ratione officii ad iudicem laicum : c. 2341 ; n. 75 ;

9.ª contra iniicientes violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum : c. 2343, § 2 ; n. 76 ;

10.ª in usurpantes aut detinentes bona vel iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia : c. 2345 ; n. 77 ;

11.ª in fabricatores vel falsarios litterarum aut rescriptorum Sedis Apostolicae : c. 2360 ; n. 78.

12.ª in falso denuntiantes confessarium de crimine sollicitationis apud Superiores : c. 2363 ; n. 79 ;

e. Reservatae Ap. Sedi *specialissimo modo :*

1.ª in eos qui species consecratas abiecerit, vel abduxerit aut retinuerit ad pravum finem : 2320 ; n. 81 ;

2.ª contra iniicientes violentas manus in personam R. Pontificis ; c. 2343, § 1 ; n. 82 ;

3.ª in absolventem vel fingentem absolvere complicem in peccato turpi : c. 2367 ; § 1 ; n. 83 ;

4.ª in confessarium violantem sigillum sacramentale directe : c. 2339 ; § 1 ; n. 81 ;

175. - *Recapitulatio suspensionum-censurarum ipso iure vigentium.*

Sunt decem ; et latae sunt :

1.ª *a divinis* in sacerdotem praesumentem audire confessiones sine iurisdictione : c. 2306 ; n. 113 ;

2.ª *ab audiendis confessionibus* in sacerdotem praesumentem absolvere sine iurisdictione a peccatis reservatis : c. 2306 ; n. 113 ;

3.ª *a recepto ordine* in eum, qui accesserit ad ordinationem malitiose sine veris litteris dimissoriis, vel ante aetatem, vel per saltum : c. 2374 ; n. 114 ;

4.ª *a iurisdictione* in Abbatem vel Praelatum negligentem recipere benedictionem : c. 2402 ; n. 115 ;

5.ª *a divinis* in Vicarium Capitularem litteras dimissorias illegitime concedentem : c. 2409 ; n. 116 ;

6.ª *a divinis* in clericum resignantem officium, beneficium, dignitatem in manibus laicorum : c. 2400 ; n. 117.

7.ª *generalis*, proprio Superiori maiori reservata, in religiosum fugitivum in sacris constitutum : c. 2386 ; n. 118 ;

8.ª *ab officio*, reservata Ordinario, in clericum trahentem ad iudicem laicum sine licentia personam privilegio fori fruentem Episcopo inferiorem : c. 2341 ; n. 119 ;

9.ª *a divinis*, Sedi Ap. reservata, in recipientem ordines ab excommunicato, vel suspenso vel interdicto post sententiam, aut a notorio haeretico, schismatico, apostata : c. 2372 ; n. 120 ;

10.ª *generalis*, Sedi Ap. reservata, in clericos ordinatos per simoniam, aut per simoniam recipientes vel administrantes Sacramenta : c. 2371 ; n. 121 ;

176. - *Recapitulatio suspensionum-poenarum ipso iure vigentium.*

Sunt sex; latae sunt:

1.ª *a missae celebratione* per mensem in Superiores religiosos, qui illegitime miserint subditos ordinandos ad Episcopum alienum: c. 2410; n. 123;

2.ª *ab ordinum collatione* per annum in ordinantes subditum alienum sine dimissoriis, vel subditum proprium sine testimonialibus debitis, vel religiosum subditum alienum cum litteris dimissoriis quidem, sed extra casus legitimos: c. 2373; c. 124;

3.ª *generalis,* ad beneplacitum S. Sedis, in personas morales et physicas quempiam in beneficiorum vel dignitatum possessionem, regimen seu administrationem recipientes ante praesentationem litterarum: c. 2394, 3°; n. 125;

4.ª *generalis* in religiosum constitutum in sacris, cuius professio declarata fuerit nulla ob dolum eiusdem; c. 2387; n. 126;

5.ª *generalis* in consecratum, consecrationi adsistentes et consecrantes Episcopum sine apostolico mandato: c. 2370; n. 127;

6.ª *generalis* in clericum in sacris constitutum et professum ex votis perpetuis, qui dimissus fuerit ob delicta minora: c. 699; 670; 671; n. 128;

177. - *Recapitulatio interdictorum ipso iure vigentium.*

Lata sunt: 1.um in personas morales ab actibus Romani Pontificis appellantes ad Universale Concilium: c. 2332; n. 98. — Est *absolutum,* et reservatur Ap. Sedi speciali modo.

2.um in sponte donantes sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis aliisve excommunicatis sive interdictis: c. 2239; n. 99. — Est *ab ingressu Ecclesiae* et reservatur Ordinario.

3.um in scienter celebrantes, celebrari facientes divina officia in locis interdictis, et in admittentes ad ea celebranda excommunicatos, interdictos, suspensos ex sententia: c. 2338, § 3; n. 100. — Est *ab impressa ecclesiae,* et reservatur ei qui sententiam tulit.

4.um in eum, qui causam dedit interdicto locali aut in communitatem: c. 2338, § 4; n. 101. — Est *personale,* et memini reservatur.

178. - *Recapitulatio de contractione censurarum.*

Censura contrahitur: 1) *a subiecto capace et obnoxio censurae;* 2) *ex causa censurae integra;* 3) *omni excusatione deficiente.*

Non contrahitur: 1) *si subiectum non sit capax aut obnoxium censurae;* 2) *vel non integra sit causa;* 3) *vel una detur ratio excusans.*

1) **Subiectum est capax et obnoxium** ex his cumulative acceptis: *a)* baptismo valide suscepto: *b)* actuali usu rationis: *c)* imputabilitate delicti; *d)* subiectione legi censurae.

Non est capax, si vel unum desierit ex his: *a)* baptismus validus; *b)* vel actualis usus rationis; *c)* vel imputabilitas delicti; *d)* vel obligatio legis, cui censura adnexa est.

Unde obnoxii sunt censuris a iure communi: – 1) *Christifideles et Clerici* (qui non sint exempti) Ecclesiae Latinae, ubique locorum deliquerint; – 2) *Singuli delinquentes,* ubi in lege censurae explicite inducantur; – 3) *Omnes,* qui communi consilio cum eo, qui in lege censurae nominatur communi consilio et physica opera concurrerint in delictum consummandum: – *Unaquaeque pars,* in delicto quod natura sua complicem postulat; - 5) *Mandans, et qui* exsecutorem, ad consummationem delicti *ita* suo quolibet influxu adduxerit, *ut sine tali influxu* delictum consummatum non fuisset.

Obnoxii non sunt: – 1) *Christifideles et Clerici* Ecclesiae Orientalis ubique sint; – 2) *Impuberes:* – 3) *Cardinales,* nisi expresse nominentur in lege censurae; – 4) *Episcopi,* censuris suspensionis et interdicti latae sententiae, nisi expresse nominentur; – 5) *Cooperatores negativi,* nisi explicite inducantur; item, cooperatores *positivi* ex influxu de se non efficaci aut non necessario; – 6) *Mandantes* et *cooperatores* ceteri, qui fuerint, si suum influxum seu mandatum opportuna retractatione abduxerint plene ita, ut effectus non sit secutus, aut secutus sit exinde sola malitia *ipsius exsecutoris,*

2) Causa censurae integra est ex his cumulative acceptis: *a)* ex delicto; *b)* imputabili graviter; *c)* patrato externe, etsi occulte; *d)* consummato secundum proprietatem verborum legis censurae; *e)* coniuncto cum contumacia; *f)* certo ex his omnibus capitibus.

Non integra est ex quolibet defectu: *a)* sive delicti; *b)* sive gravis imputabilitatis; *c)* sive actionis externae, quae sit graviter imputabilis; *d)* sive consummationis delicti; quod fuerit igitur solum frustratum, vel habeatur solus conatus eius; praeterea excusatur a censura etiam qui ab incepto delicto desistit; *e)* sive contumaciae, ob legis vel censurae ignorantia, quae, in casu, contumaciam excludat; *f)* sive certitudinis vel in uno ex his capitibus.

3) Omnis excusatio deest, si in casu nulla agenti sufficiens adstiterit causa ex iis, quae in iure a censuris aliquando excusant.

Excusatio adest, si vel una agenti fuerit causa sufficiens ad illum in casu excusandum a censura. Unde:

a) quando lex censurae habet verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, a censura excusabunt: *ignorantia crassa* seu supina sive legis sive censurae; itemque *error, inadvertentia,* etsi graviter imputabilis: c. 2229, § 2; 2202, § 3; *omissio* debitae diligentiae, etsi culpa gravis maneat, c. 2203,

§ 1; *minor aetas,* nisi aliud constet: c. 2204; *vis physica,* etsi non repugnanter subeatur c. 2205, § 1; *metus gravis vel leris, necessitas,* immo et *grave incommodum,* etiam si actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum: c. 2205, § 2, 3; *causa legitimae tutelae* contra iniustum aggressorem, etiam si culpa gravis commissa fuerit ob non servatum moderamen: c. 2205, § 4; *provocatio:* c. 2205, § 4; *passio,* quae non fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita: c. 2206; *ebrietas;* nisi tamen fuerit ipsa apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita; *itemque aliae* perturbationes mentis: c. 2201, § 3; *debilitas mentis:* c. 2201, § 4; *retractatio,* etsi mandatum seu influxum non plene abduxerit, ideoque delictum patratum fuerit: c. 2209, § 5. — *Ignorantia affectata* a nulla unquam censura seu poena excusat.

b) quando lex verba illa non habet, nec similia, quae *praesumptionem* exigunt, a censura excusabit; *quaelibet* causa excusans a gravi imputabilitate: c. 2218; *ignorantia* vincibilis; *metus gravis,* aut *grave incommodum,* si lex servanda, cui adnexa est censura, sit solum ecclesiastica, et *dummodo* delictum non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum: c. 2229, § 3, 3.°

179. - *Recapitulatio de absolutione censurarum.*

1) In periculo mortis quilibet sacerdos est confessarius, et potest quemlibet poenitentem a quibuslibet censuris et peccatis absolvere: c. 882, 2252. — Rite dispositum absolvat absolute; dubie dispositum, conditionate; quemlibet morientem, non omnino certe et actualiter indispositum seu repugnantem, conditionate. Non ipse tenetur, priusquam absolvat, imponere poenitenti onus recursus faciendi, si convaluerit; sed poenitens obligatione recurrendi tenebitur. sub poena reincidentiae, si receperit absolutionem

ab aliqua censura *ab homine* vel a censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata; c. 2252.

2) In casibus urgentioribus simplex confessarius cum formula absolutionis consueta potest similiter quemlibet poenitentem a quibuslibet censuris, nulla excepta, absolvere, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine poenitentis. Recurrendum vero est;

a) *pro reservatis Ordinario,* ad Ordinarium, idest ad Episcopum aut Vicarium Generalem aut Vicarium Capitularem, sede episcopali vacante, vel ad alium Superiorem, qui aut tali facultate ordinaria gaudeat aut eamdem habitualiter impetraverit seu receperit ab Ordinario.

b) *pro reservatis Sedi Apostolicae simplici modo,* ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum (si casus sit occultus) vel ad Superiorem alium, qui facultatem *generalem* habitualiter impetraverit a Sede Apostolica;

c) *pro reservatis Apostolicae Sedi speciali* et *specialissimo modo*, ad S. Poenitentiariam, vel ad alium Superiorem alium, qui facultatem *specialem* vel *specialissimam* a Sede Apostolica acceperit;

d) *pro censura ab homine,* ad eum qui eam inflixit vel ad eius competentem Superiorem, vel ad eius successorem: c. 2254, 2253;

e) *addito insuper altero onore*, scilicet standi mandatis subsecuturis; inter quae mandata sane erunt ea, quae sunt de iure iniungenda. Cf. n. 183.

3) Periculo mortis et **casibus urgentioribus remotis,** simplex confessarius:

a) *a nemini reservatis* quemlibet poenitentem, sive incolam sive peregrinum, rite dispositum, et desinente contumacia, absolvit propria auctoritate cum formula consueta absolutionis, impositis prius congrua poenitentia pro censura, remotione scandali et satisfactione, quae sit forte adimplenda;

b) *a reservatis* non poterit absolvere nisi prius obtinuerit debitam facultatem, quam petet: 1) *pro reservatis Ordinario,* ab Episcopo vel Vicario Generali aut Capitulari, vel ab alio Superiore tali facultate praedito, ut dictum est supra; 2) *pro reservatis Apostolicae Sedi simplici modo,* a S. Poenitentiaria, vel ab Episcopo (si tamen casus sit occultus) vel ab alio Superiore tali facultate praedito, ut dictum est supra; 3) *pro reservatis Apostolicae Sedi speciali* aut *specialissimo modo,* ad S. Poenitentiariam vel ad alium Superiorem tali facultate praeditum, ut dictum est supra: 4) *pro censuris ab homine,* ad eos, quibus reservatae sunt. Cf. n. 15.

4) Plura tamen sunt notanda, sive quod ad recursum faciendum pertinet, sive quod ad absolutionem confessarii.

a) **Obligationi** recurrendi poenitens alio modo potest satisfacere: — « Nihil impedit, quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte superioris supervenientibus »: c. 2254, § 2.

b) **Recursus,** qui sit moraliter impossibilis, potest a confessario suppleri: « Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu, quo agatur de absolutione censurae, de qua in canone 2367, § 1, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram »: c. 2254, § 3. Exceptio in canone fit de sacerdote excommunicato ob absolutionem datam complici contra ius.

c) **Absolutio** data cum iurisdictione positive *proba-*

bili est valida, quia defectus in casu suppletur ab Ecclesia. Accipe ius: « In.... dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno » : c. 209.

d) **Reservatio dubia** est reservatio nulla. Accipe ius: « Reservatio strictam recipit interpretationem » ; c. 2246, § 2, et « in dubio, sive iuris sive facti, reservatio non urget » c. 2245, § 4. — Unde confessarius, qui ex prudenti iudicio iudicare potuerit, delictum non esse ex omni parte certum (n. 2), aut delictum, alioquin certum, non comprehendi in censura, valide absolvet, de qualibet reservatione agatur.

e) **Absolutio a reservatis** data ex ignorantia reservationis, aliquando valet, aliquando non, et scienter attentata super excommunicationibus quibusdam plectitur censura. Accipe ius : « Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura *ab homine* aut censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata », c. 2247, § 3. — Valet igitur absolutio, quae, ex ignorantia licet imputabili, detur a censuris reservatis Ordinario, aut reservatis Sedi Apostolicae simplici vel speciali modo.

Attamen si quis scienter voluerit (extra periculum mortis et casus urgentiores) sine debita facultate absolvere a reservatis, non valide absolvet: praeterea « absolvere praesumentes.... ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » : c. 2338, § 1.

f) **Absolutio generaliter data** valet non solum super excommunicationes manifestas sed etiam super omissas seu reticitas bona fide. Accipe ius: « Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide » : c. 2249, § 2.

180. - *Forma absolutionis.*

Pro foro sacramentali : absolutio censurae cuiuslibet iam continetur in consueta forma praeceptiva absolutionis peccatorum; post *Misereatur* et *Indulgentiam* dicitur: « *Dominus noster Jesus Christus te absolvat ; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges* etc. ». Haec absolutio, quae praescribitur dici semper ad cautelam, usu veniat, et quidem sine ulla mutatione verborum, pro quibuslibet censuris absolvendis. — In casu necessitatis forma brevior est: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris* ✠, *et Filii, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Pro foro non sacramentali : convenit ad ritum, non vero ad validitatem, ut adhibeantur, si nihil obstet, formae quae in ritualibus libris leguntur, sive de excommunicatione, sive de suspensione et interdicto.

181. - *Forma recursus faciendi pro absolvente complice.*

Beatissime Pater,

Titius sacerdos (*vel* parochus) unam poenitentem (*vel* duos) complicem in peccato turpi, semel (*vel* bis, ter, etc.) sacrilege absolvit. Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per 15 (*vel* 30, etc.) dies Missam celebrare et Sacramenta ministrare perrexit. Delictorum suorum sincere poenitens, absolutus fuit a peccatis et censuris ad normam can. 2254, § 1 novi Codicis. Nunc ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, profitetur se omnino paratus ad quaecumque mandata exsequenda, quae S. V. placuerit ei iniungere et transmittere. Responsio dirigatur ad me subscriptum *).

*) Recursus fiat ad S. Poenitentiariam. — *Sole,* p. 138.

182. - *De poenitentiis.*

Pro peccatis poenitentia sacramentalis imponenda est, *proportionate gravis* pro gravibus culpis, *levis* pro levibus, semper tamen *salutaris et conveniens,* inspectis non solum qualitate et numero peccatorum sed et conditione poenitentis. Unde pro impuberi potest esse leviter etiam si agatur de culpa gravi, pro infirmo levis et etiam nulla, licet non conveniat ut poenitentia plane omittatur cum iis qui sensibus nondum sunt destituti, sed saltem aliqua pia iaculaloria, plures dicenda iniungatur. Extra periculum mortis et in casibus ordinariis, lex cum humana infirmitate, melius, cum relaxatis moribus componatur, ea opera in poenitentiam imponantur, quae, cum essent aliunde debita, et a poenitente negligantur, magis salutaria fore praevidentur; cuiusmodi esse solent orationes, quotidianae, adsistentia catechismo seu doctrinae, fuga occasionis proximae, satisfactio huic vel illi obbligationi, quam poenitens adimplendam habeat, eleemosyna piis operibus praesertim S. Infantiae et Propagationis fidei.

Pro censuris alia poenitentia seu satisfactio, praeter sacramentalem peccatorum aliorum, est iniungenda.

a) Si poenitentia sit ex iure vel ex rescripto facultatis acceptae vel facti recursus nominatim determinata, haec est imponenda, nec mutari potest sine venia.

b) Si generali quodam modo sit determinata, tunc poenitentia: 1) *salutaris* illa censetur quae est proportionata peccatori, peccato et fini; 2) *gravis,* quae suo pondere peccatori manifestet gravitatem delicti, ut per sex menses rosarium ter in hebdomada, aut ieiunium semel in hebdomada, recitatio psalmorum poenitentialium flexis genibus semel in hebdomada, menstrua confessio, etc.; 3) *longa* quae saltem semel in hebdomada producenda est ad annum; 4) *diuturna,* quae ad triennium; 5) *gravissima* quae esset ex gravi duplicata aut triplicata.

c) Si ipse confessarius imponere potest ac debet poenitentiam pro censuris ratione casus urgentioris huiusmodi,

qui recursum ipsum impediat, prae oculis habeat poenitentias de quibus can. 2313 (n. 159): preces determinatas, exercitia spiritualia, et eleemosynas operibus piis, *potissimum S. Infantiae* et *Propagationis Fidei;* at ne unquam obliviscatur regulae generalis, qua poenitentiae esse debent salutares et convenientes.

183. - *De locutione canonica: "iniunctis de iure iniungendis".*

Haec locutio postulat ut confessarius imponat poenitenti ea omnia quae sunt illi de iure divino iuiungenda, ut digne et rite absolvatur. Speciatim vero postulat ut ei imponatur:

1) *congrua satisfactio* parti laesae, si qua debeatur;

2) *remotio scandali,* si quod sit poenitenti voluntarium, vel proximis sit ratione patrati delicti;

3) *salutaris et conveniens poenitentia* pro censura seu delicto censurae, praeter eam quae sacramentalis est pro peccatis in genere. Cf. n. 161.

INDEX

PRIMA PARS

DE CENSURIS IN GENERE

1. Censura quid sit 1.
2. Quid censurâ puniatur 3.
3. Quae sit contumacia ad censuras incurrendas 7.
4. Quandonam contumacia censeatur desiisse 7.
5. Censurae quomodo dividantur 8.
6. Quinam in Ecclesia potestatem de iure habeant censuras ferendi seu irrogandi 10.
7. Quinam censuras irrogare possint potestate delegata et quinam censuras legitime statutas applicare 14.
8. Quae sit sententia declaratoria vel condemnatoria, et quae poena dicatur lata per modum praecepti 17.
9. Quinam sint censuris obnoxii, quinam vero non 18.
10. Cooperatores seu concurrentes in delictum quomodo sint habendi censuris obnoxii 21.
11. Censura (itemque poena) latae sententiae quandonam obligationem suam seu effectum exserat 23.
12. Quandonam effectum seu obligationem suam exserat censura ferendae sententiae 25.
13. An contra inflictas censuras detur recursus, et qualis 25.
14. An etiam eiusdem speciei censurae, sive a iure sive ab homine, multiplicari possint in eodem subiecto, et quo modo 27.
15. Quae summatim dicenda sint de censura *ab homine* 28.
16. Quae summatim dicenda sint de reservatione censurarum 29.
17. Quae sint in primis notanda de absolutione censurarum in genere 31.
18. An, firma censura, dari possit absolutio a peccatis, et quae forma absolutionis sit adhibenda 33.
19. An absolutio dari possit ab una censura, non absolutis aliis 35.
20. Quando et qua conditione danda sit absolutio a censuris 36.
21. An censura absoluta, aliquando reviviscat 37.

22. Quinam valeant a censuris absolvere extra sacramentum Poenitentiae 38.
23. In periculo mortis a quibus censuris absolvere possit sacerdos et simplex confessarius 39.
24. Quid de eo, qui in periculo mortis fuerit a censuris absolutus per sacerdotem vel simplicem confessarium 40.
25. In casibus canonicis urgentioribus simplex confessarius a quibus censuris absolvere valeat, et quomodo poenitens teneatur ad recursum 42.
26. Extra periculum mortis et casus urgentiores simplex confessarius a quibus censuris absolvere valeat de iure communi 45.
27. Ordinarii quid super censuris valeant de iure communi 46.
28. Delegatus quid super censuris valeat 47.
29. Quinam sint effectus absolutionis sive a confessario, sive ab Ordinario, sive a delegato datae particulariter vel generaliter 47.
30. In iure quaenam censeantur causae a contrahendis censuris latae sententiae excusantes 48.
31. Omnes et singulae causae quandonam seu quibus in casibus valeant a contrahenda censura excusare 49.
32. Censurae quotuplicis sint speciei 53.
33. Censurae hodie vigentes, Codice iuris canonici promulgato, quaenam habendae sint 53.
34. Censurae hodie vigentes quo iure sint aestimandae seu interpretandae 54.

SECUNDA PARS

DE CENSURIS IN SPECIE

Caput. I. – De excommunicationibus ipso facto vigentibus.

Art. I. – *De excommunicatione in genere.*

35. Excommunicatio quid sit, et quando praesertim anathema dicatur 55.
36. Excommunicati quomodo dividantur 56.
37. Quinam sint effectus excommunicationis *Communes*, quibus nempe quilibet excommunicatus subiicitur 57.
38. Quinam sint effectus *proprii*, quibus subiiciuntur excommunicati *notorii* notorietate facti et notorietate iuris ex data sententia declaratoria vel condemnatoria 66.
39. Quinam sint effectus *proprii*, quibus subiiciuntur excommunicati *vitandi* 68.

ART. II. - *Excommunicationes nemini reservatae.*

40. Quot sint et quid de his generatim tenendum 69.
41. Quid de prima, quae est in eos, qui sacrarum Scripturarum libros edunt sine debita venia? 70.
42. Quid de secunda, quae est in mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae indignos? 72.
43. Quid de tertia, quae est in alienantes bona ecclesiastica sine debita licentia? 76.
44. Quid de quarta, quae est in cogentes ad statum clericalem vel ad religionem? 80.
45. Quid de quinta, quae est in poenitentem, qui debitam denuntiationem sollicitationis omiserit? 83.

ART. III. - *Excommunicationes reservatae Ordinario.*

46. Quot sint et quid de illis generatim sentiendum 89.
47. Quid de prima, quae est in celebrantes matrimonium coram ministro acatholico et in delinquentes circa baptismum et educationem prolis? 90.
48. Quid de secunda, quae est in delinquentes ex falsis reliquiis? 94.
49. Quid de tertia, quae est contra iniicientes manus in personam clericorum infra Episcopos, aut religiosorum utriusque sexus? 96.
50. Quid de quarta, quae est in procurantes abortum? 99.
51. Quid de quinta, quae est in religiosum apostatam a religione? 102.
52. Quid de sexta, quae est in delictum initi matrimonii, professione votorum simplicium perpetuorum obstante? 103.

ART. IV. - *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae simplici modo.*

53. Quot sint, et quid generatim de illis tenendum 105.
54. Quid de prima, quae est in facientes quaestum ex indulgentiis? 106.
55. Quid de secunda, quae est in dantes nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis? 107.
56. Quid de tertia, quae est in praesumentes absolvere a reservatis? 111.
57. Quid de quarta, quae est contra impendentes auxilium excommunicato vitando, et in clericos recipientes illum in divinis? 112.
58. Quid de quinta, quae est in eos, qui ausi fuerint ad iudicem laicum trahere non quidem proprium Ordinarium, sed alium Episcopum aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, aut Superiorem maiorem religionum iuris pontificii? 114.

59. Quid de sexta, quae est in violantes clausuram regularium monialium? 118.
60. Quid de septima, quae est in violantes clausuram regularium virorum? 121.
61. Quid de octava, quae est in moniales illegitime exeuntes e monasterio? 122.
62. Quid de nona, quae est in praesumentes usurpare bona ecclesiastica? 124.
63. Quid de decima, quae est in delinquentes duelli causa? 128.
64. Quid de decimaprima, quae est in attentantes matrimonium, cui obstat votum sollemne castitatis? 131.
65. Quid de decimasecunda, quae est in perpetrantes simoniam? 133.
66. Quid de decimatertia, quae est in eos, qui Curiam episcopalem aliquo documento privaverint, Sede episcopali impedita aut vacante? 138.

ART. V. – *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae speciali modo.*

67. Quod sint, et quid de illis generatim tenendum 140.
68. Quid de prima, quae est in apostatas, haereticos, schismaticos et quae speciali disciplina regitur? 141.
69. Quid de secunda, quae est in suspectum de haeresi non emendatum? 145.
70. Quid de tertia, quae est in editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum et in defendentes, legentes, retinentes eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos? 147.
71. Quid de quarta, quae est in non promotum ad ordinem sacerdotalem, qui Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit? 150.
72. Quid de quinta, quae est in appellantes a Romano Pontefice ad Universale Concilium? 152.
73. Quid de sexta, quae est in eos qui litteras vel acta Apostolicae Sedis aut eiusdem Legatorum impediunt? 154.
74. Quid de septima, quae est in edentes mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, et in impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae? 156.
75. Quid de octava, quae est in trahentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ad iudicem laicum? 161.
76. Quid de nona, quae est contra iniicentes violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, etiam titularis tantum? 164.

77. Quid de decima, quae est in usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia? 165.
78. Quid de decimaprima, quae est in fabricatores vel falsarios litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae? 167.
79. Quid de decimasecunda, quae est in falso denuntiantes confessarium de crimine sollicitationis? 170.

Art. VI. – *Excommunicationes Apostolicae Sedi reservatae specialissimo modo.*

80. Quot sint et quid de illis generatim tenendum 173.
81. Qui de prima, quae est in delinquentes contra Sacramentum SS. Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi? 174.
82. Quid de secunda, quae est contra iniicientes violentas manus in personam Romani Pontificis? 177.
83. Quid de tertia, quae est in absolventes complicem in peccato turpi? 177.
84. Quid de quarta, quae est in violantes directe sigillum sacramentale? 184.

Art. VII. – *Excommunicationes Romano Pontifici reservatae ex Const.* Vacante Sede Apostolica.

85. Quot sint et quid de iis generatim tenendum 188.
86. Cuiusmodi sit excommunicatio, quae ex constitutione *Vacante Sede Apostolica* afficit omnes ab electione ad coronationem Romani Pontificis 189.
87. Quaenam in electione Romani Pontificis praecipiantur sub poena excommunicationis reservatae soli Romano Pontifici 189.

Caput. II. – **De interdictis ipso iure vigentibus.**

Art. I. – *De interdicto in genere.*

88. Interdictum quid sit 192.
89. Quandonam interdictum sit poena vindicativa, et quando censura 193.
90. Interdictum quomodo distinguatur 194.
91. Quis ferre possit interdictum *generale*, tam locale quam personale 194.
92. Effectus interdicti localis quinam sint 195.
93. Quinam sint effectus interdicti personalis 197.
94. Interdictum in communitatem seu collegium quotuplici modo ferri possit 198.

95. Quid sentiendum de eo, qui, quum non sit reus, interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium lato subest 199.
96. Quid tenendum de interdicto *ab ingressu Ecclesiae* 199.

ART. II. - *Interdicta ipso iure vigentia.*

97. Quid generatim dicendum de interdictis hodie vigentibus ipso iure? 200.
98. Quid de primo, quod est Apostolicae Sedi reservatum? 201.
99. Quid de secundo, quod est reservatum Ordinario? 201.
100. Quid de tertio, quod reservatur, donec, arbitrio eius, cuius sententia fuerit contempta, satisfactum sit? 202.
101. Quid de quarto, quod nemini est reservatum? 204.

CAPUT. III. - **De suspensionibus.**

ART. I. - *De suspensione in genere.*

102. Suspensio quid sit 205.
103. In suspensione generaliter lata quid comprehendatur et quot species suspensionis dentur 205.
104. Suspensio ab officio et suspensionis species diversae quid vetent 206.
105. Suspensio a beneficio quibus privet 208.
106. *Suspensio* (generaliter lata) vel suspensio ab officio aut a beneficio ad quae officia et beneficia se extendat, ex iis pluribus, quae forte a clerico habeantur 208.
107. An Ordinarius loci suspendere possit clericum a beneficio, quod alicubi obtinet, et quid de suspensionibus a iure communi latae sententiae 209.
108. Suspensi quibus aliis effectibus obnoxii maneant ratione censurae 209.
109. Quid tenendum sit de suspensione in communitatem seu collegium clericorum 210.
110. Quid summatim dicendum de censura suspensionis ex *informata conscientia* 211.

ART. II. - *Suspensiones latae sententiae.*

111. Quid sit de illis generatim dicendum 213.

§. 1. - *Suspensiones-censurae.*

112. Quot sint 214.
113. Quid de primis duabus non reservatis, quae sunt in sacerdotem praesumentem audire confessiones, vel absolvere sine necessaria iurisdictione? 215.

114. Quid de tertia non reservata, quae est in accedentem ad ordinem malitiose? 216.
115. Quid de quarta non reservata, quae est in Abbatem vel Praelatum nullius? 218.
116. Quid de quinta nemini reservata, quae est in Vicarium Capitularem? 219.
117. Quid de sexta nemini reservata, quae est in clericum resignantem in manus laicorum? 220.
118. Quid de ea, quae reservata est proprio Superiori? 221.
119. Quid de ea, quae reservata est Ordinario? 222.
120. Quid de prima ex reservatis Apostolicae Sedi? 223.
121. Quid de secunda reservata Apostolicae Sedi? 224.

§ 2. - *Suspensiones-poenae.*

122. Quot numerentur 225.
123. Quid de prima, nemini reservata? 225.
124. Quid de secunda? 225.
125. Quid de tertia, quae afficit personas tam morales quam physicas? 227.
126. Quid de quarta, quae est in religiosum clericum invalide professum? 228.
127. Quid de quinta? 228.
128. Quid vero de sexta Apostolicae Sedi reservata? 229.

§ 3. - *Suspensiones ferendae sententiae.*

129. Quaenam et in quas personas sint institutae 230.
130. Tot tantaeque poenae comminatae quid clericos doceant 241.

TERTIA PARS

DE POENIS VINDICATIVIS, REMEDIIS POENALIBUS ET POENITENTIIS

CAPUT I. - **De poenis vindicativis.**

ART. I. - *De poenis vindicativis in genere.*

131. Poenae vindicativae quaenam dicantur 242.
132. Quae distinctiones sint potissimum attendendae 242.
133. Quinam valeant poenas infligere, ab normam iuris 243.
134. Quinam sint poenis infligendis obnoxii, quinam vero non 245.
135. Quaenam causae excusent a poenis vindicativis 246.
136. Poena vindicativa quandonam obliget 246.
137. A poenis vindicativis qualis detur recursus 247.

138. An et quando iudex suspendere possit quarundam poenarum exsecutionem 247.
139. Poena vindicativa quomodo finiatur et remittatur 248.
140. Quid valeant Ordinarii super poenis latae sententiae iure communi statutis 248.
141. Quid valeat simplex confessarius 249.

ART. II. - *De poenis vindicativis communibus.*

142. Poenae vindicativae communes quaenam sint 251.
143. Quid speciatim de poena suppressionis? 251.
144. Quid de infamia? 252.
145. Quid de inhabilitate? 253.
146. Quid de mulctis? 254.

ART. III. - *De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.*

147. Poenae vindicativae peculiares clericorum quaenam sint 254.
148. Quid speciatim de privatione? 255.
149. Quid de praescriptione commorationis? 256.
150. Quid de depositione? 256.
151. Quid de degradatione? 257.

CAPUT. II. - **De remediis poenalibus.**

152. Remedia poenalia quaenam censeantur. 257.
153. Monitioni quandonam sit locus 257.
154. Quandonam locus sit correptioni 258.
155. Quid de monitione et de correptione tenendum 258.
156. Praecepto quandonam detur locus 258.
157. Vigilantia quandonam adhibenda 258.

CAPUT. III. - **De poenitentiis.**

158. Poenitentiae quomodo sint imponendae 259.
159. Praecipuae poenitentiae quaenam sint 259.
160. Confessarius quas poenitentias imponere debeat 260.
161. Quid importet illud: «*iniunctis de iure iniungendis*», quod confessario servandum est aliquando de iure vel de rescripto S. Poenitentiariae 263.

QUARTA PARS

DE IRREGULARITATIBUS

162. Irregularitas quid sit et quae habenda. 266.
163. Quinam sint irregulares ex defectu 268.

164. Quinam sint irregulares ex delicto 271.
164. bis. Quid de clericis redeuntibus a militia et bello? 275.
165. Irregularitates ex delicto quandonam contrahantur 276.
166. Num ignorantia irregularitatum excuset ab eis 276.
167. An irregularitates multiplicentur 276.
168. Ordinarius in quibus dispensare possit 277.
169. Confessario simplici quaenam competat facultas 277.
170. Preces pro irregularitatum dispensatione quomodo sint conficiendae 278.
171. Dispensatio generalis ad ordines, pro quibus ordinibus valeat 279.
172. Quae memoria sit servanda de concessa dispensatione in foro interno non sacramentali 279.

APPENDIX

DE RECAPITULATIONIBUS

173. Recapitulatio excommunicationum ex textu Codicis 280.
174. Recapitulatio excommunicationum ex indice Codicis 284.
175. Recapitulatio suspensionum-censurarum ipso iure vigentium 287.
176. Recapitulatio suspensionum-poenarum ipso iure vigentium 288.
177. Recapitulatio interdictorum ipso iure vigentium 288.
178. Recapitulatio de contractione censurarum 289.
179. Recapitulatio de absolutione censurarum 291.
180. Forma absolutionis 295.
181. Forma recursus faciendi pro absolvente complicem 295.
182. De poenitentiis 296.
183. De locutione canonica: " iniunctis de iure iniungendis „ 297.

23044